



01


A

5
6748

00

1220

2685



ANIMADVERSIONES

In quosdam Numos Veteres Urbium
Honoribus

ILLUSTRISSIMORUM,

ET

PERILLUSTRIMUM

DOMINORUM DOMINORUM

Dum

*In Antiquissima, & Celeberrima
Universitate Viennensi*

PROMOTORE

Reverendo Patre

ANTONIO WEILHAMER,

è Soc. JESU AA. LL. & Phi-
losophiæ Doctore, ejusdemque
Professore Ordinario,

Prima AA. LL. & Philosophiæ Laurea
Ornarentur

à

NEO-BACCALAUREIS

Condiscipulis dicatæ.

Anno Salutis M. DCC. XXXVIII. Mense Aprili die

— — — — —

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Mariæ Theresiæ Voigtin, Viduæ,

ANIMADVERSIONES

In quosdam Nuncios Veros Liberos
Honoribus

ILLUSTRISSIMORUM

PRINCIPUM

DOMINORUM

In Augustissimis & Clarissimis
Illustribus Viris

EXIMIORE

AC TOTO VEHEMENTER

ET SOC. HES. A. L. L. & C.

Professores Ordinarios

NEO-BACCALAURIIS

Conditionibus etiam

VERVM AUSTRIAM

Typis M. J. T. V. V. V. V. V. V.



ILLUSTRISSIMO AC REV.

DOMINO

**FRANCISCO
LAMBERTO**

S.R.I. Com: à Liedekerke,

L. B. de Surlet, & d'Acre &c.

**è Cæs. S. J. Conv. Collegio, Leo-
dienfi Lechienfi.**

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

JOACHIMO BALU

Marchioni de Villamoros,

Auftriacò Viennensfi.

PERILLUSTRI DOMINO

J O S E P H O

de Kürchstettern, S. R. I. Equiti

Auftriacò Viennensfi.

PERILLUSTRI DOMINO

JOANNI LUDOVICO

de Tiell, S. R. I. Equiti,

Auftriacò Viennensfi.

ILLUSTRISSIMO AC REN

DOMINO

FRANCISCO

LAMBERTO

S. R. I. Com: á Liedekerke,

L. R. de Souter & d'Acere &c.

Scal. S. J. Comv. Collegio, Leo.

diem 1. Octobris

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

JOACHIM

Marchio



PERILLUSTRI DOMINO

JOSEPHO

de Künchloetteren, S. R. I. Com: á

Aulico Viceroy

L 206

PERILLUSTRI DOMINO

JOANNI LUDOVICO

de Tüll, S. R. I. Com: á

Aulico Viceroy



ILLUSTRISSIMI,
ET
PERILLUSTRES,
DOMINI
NEO-BACCALAUREI.

P*Hilosophia Veteris Amatoribus, ejusdemque prima Laurea condecoratis, Vobis, Illustrissimi Domini, pretiosa hac vetustatis analecta offerimus, Antiqua scilicet Urbium Numismata. Habent ea vel ipsis ab urbibus, in quibus signata sunt, titulum aliquem, quo Vobis probentur; sunt enim ea lo-*
A ca

ca ejusmodi, quæ olim opibus, magnitudine, potentia, & quod caput est, Philosophorum, aliorumque Doctrinæ laude illustrium Virorum copia floruerunt.

Legetis in eruditis hisce Vetus-
tatis reliquiis non ea duntaxat,
quæ animi causa legere severiorum
literarum Studiosi solent; verum
illis quoque opes istæ Vos ditare
documentis poterunt, quæ ad
Philosophici Studii perfectionem
propius, & vero proprie
pertineant: quæ nempe ad Morum
culturam primum, deinde ad rerum
Naturalium, animalium, & plantarum
cognitionem aliquid conferant, nonnulla
hic quoque offendetis.

Adfert vetustas, in ære suo reliqua,
incredibilem in omni fere
literarum genere scientiam: neque

que jucunda tantum novitate,
uti arbitrantur fortasse aliqui,
sed egregia quoque utilitate con-
templatores suos sibi devincit.

Hæc porro ita esse, experien-
tia Vestra feliciter comprobabitis
Illustrissimi Domini Neo-Bac-
calaurei, si delibata primum, ve-
lut promulsæ quadam, opella
ista ad lectissima deinde alia qua-
que Vetustatis bellaria, industri-
am Vestram, & capacissimam
mentem, optimarum literarum
avidam, transtuleritis. Hoc,
aliaque bonarum mentium sola-
tia in seram usque ætatem DEUS
Optimus Vobis impertiat, atque
conservet.

Ita Vovemus

Addictissimi

In Phycis Condiscipuli
Viennenses.

A 2

Auctor

Auctor Lectori S.

Selecta quædam Urbium, & Populorum Numismata, quæ per otium in Cimento R. P. C. GR. S. J. mihi contemplari datum est, hic Tibi Lector Benevole exhibeo. Servire hæc poterunt Appendiculæ loco ad eorum Numorum, collectionem, quos, ubivis terrarum signatos, & Augustorum, Cæsarumve vultu, ac nomine carentes, Viri doctissimi Hubertus Goltzius, & R. P. Harduinus S. J. evulgarunt, & eruditæ animadversionibus illustrarunt. Numi nostri, aut in istorum libris non sunt, aut si sunt, est in ipsis aliquid repertum, quod novæ lucis aliquantulum asferre ad Rem Antiquariam possit.

In animadversionibus meis quædam esse non diffiteor, quæ, cum assequi certa interpretatione non potuerim, conjectura perentanda putaverim: Ea ego Te, Erudite Lector, non tam, ut credas, jubeo, quam, uti discutias, illustres, emendes, invito, ac rogo.

Opellam hanc in duas Partes dividere libuit, quarum Prior Numos, in Europæis Urbibus signatos, complectitur: altera in Asia percussos exhibet.

PARS



PARS PRIOR.

Numi in Europa percussi.

NUMI CORCYRÆ NIGRÆ.

Numi omnes ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. vel ΚΟΡΚΥΡ. vel ΚΟΡ. inscripti (nisi si qui istorum ad Corinthios pertinerent) ab Antiquariis hæctenus ad Corcyram, celeberrimam illam in Jonio mari insulam, Corfù hodie dictam, relati sunt. Ego vero, quos hic subjiciam, tres parvi moduli ex ære numos, elegantes illos, atque integros, ΚΟΡ. inscriptos, alteri Corcyræ insulæ, & urbi quam obrem tribuendos esse existimem; post continuo, quam numos descripsero, pluribus exponam, illamque insulam, cujus antiqua memoria haud ita vulgo celebris est, paullo prolixius prædicabo. Numi nostri ita habent.

ΚΟΡ. Κορυραίων. *Corcyræorum.* Satyrus nudus diotam, seu amphoram in aliud vas majus adstitutum effundit: a tergo Satyri pisciculus.

Nulla inscriptio. Bacchus nudus, Tigride, vel Pantherisco vectus. Vide iconem Tab. I. Num. 1. sequitur alter numus. KOP. *Corcyæorum*. Victoria stans, expansis manibus, & alis.

Aquila, aut alia avis major stans, rostro sertum gerens; ex pampinis, botrisque contextum. Tab. I. Num. 2.

Tertius numus nihil fere ab altero hoc differt, nisi quod avis,serti loco, botrum unicum rostro attineat.

Hos numos non illi *Corcyæ*, quæ *Jonio* mari circumfunditur, & olim *Phæacum* Insula, *Scheria* &c. atque Græcis scriptoribus fere *Κέρκυρα*, in numis tamen *Κόρκυρα* compellata legitur, adscribendos censeo: sed alteri *Corcyæ* vindicandos puto, quæ à Veteribus *Κόρκυρα* ì *Μέλαινα* *Corcyra Nigra* dicta est, propter umbrosas, quibus abundat, nigricatque, silvas: ab nostri temporis Græculis *Zachalia*, ab Italis *Curzola*, vel *Curzula*, vel etiam *Corzola* nominatur. Sita ea est inter insulas *Melitam*, & *Lefinam*, quæ olim *Pharos* vel *Pharia*: ab Dalmatico littore ubi olim *Onæum* oppidum, hodie *Sabioncello* constitutum est, exiguo *Adriatici* maris intervallo dirimitur.

Ad hanc porro *Adriatici* maris Insulam, præ altera illa celebriore *Corcyra* hosce numos pertinere, ex eo suspicari cæpi, quod numi

mi

mi isti essent in Dalmatiæ regione, huic insulæ vicina, reperti, atque inde ad nos perlati. Ea suspicio in certam prope sententiam corroborata est; posteaquam omnia, in primo illo, e tribus, quos proposui, numis consignata, deprehendi egregie plane, ac proprie Adriaticæ huic Corcyræ convenire. Primo porro numo huic insulæ, atque urbi asserto, nihil jam de aliis duobus dubitabam; quod eodem ex loco allati, & fabrica omnino persimili essent, ac diversa ab ea, quam præ se ferunt alterius majoris Corcyræ numi.

Primo igitur in numo trium præcipue rerum consignata symbola contuemur; Bacchi figuram, Tigride, ut solet, vel Pantherisco vecti, satyri simul (quod genus, Bacchi comites esse, nemo ignorat) qui fronte cornuta, cætera nihil ab homine difformis, ex amphora, in vas aliud vinum effundere videtur. Quæ ambo, uti & in aliis duobus numis Pampini, & Uvæ, uberem vini in hac insula proventum significant. Alterum est Pisciculi imago, hic certe non temere signata, sed Pisciculorum divitem capturam, ab insulæ hujus incolis exerceri solitam, aperte indicans.

Jam vero, vini proventum quod concernit, ejus testem habemus *Palladium Fuscum, de situ, & ora Illyrici lib. II.* Qui ita de

Corcyra nostra: *A Pharo decem millibus passuum abest Corcyra Nigra, cum urbe cognomine: hæc autem etas utramque Curzulam vocitat; sed insula ambitu sexcentorum stadiorum, pinnastris redimita, & aquis abundans, fert frumenta, vinaque, & alia usui necessaria.* Alterum una confirmat Sponius in *Itinerario*, adnotans: Venetos Curzolam, quos nunc Dominos hæc insula agnoscit, emolumenti plurimum, quod percipiunt, vini proventui, & pisciculorum capturae debere. Pisciculi isti, qui miri saporis sunt, notissimo nomine Sardellæ appellantur, ab aliis etiam Sardinæ, Sardenæ, Ligulæ, Chalcides, Trichia, vel Sardæ, etsi hoc minus recte, dicuntur.

Sponii narrationem Collega quidam meus, epistola ad me Flumine S. Viti anno superiore data, omnino confirmavit, quem ego hac super re, ille Liburnos, qui eam Insulam pernoscunt, consuluit. Neque porro dubium est, quæ nostra ætate huic insulæ e terra, marique proveniunt (quando utriusque ingenium eodem in loco vix, ac ne vix quidem unquam mutari solet) olim quoque provenisse.

Comprobantur hæc egregie tertio numi symbolo, vasorum, varia figura insculptorum, imagine, singulari arte, studioque in numo expressa. Nam fictilia variæ formæ vasa hodieque plurima in Corcyra nostra
con-

confieri, ac diversas in oras venum divehi, quem paullo superius laudavi, Collega meus me per literas edocuit. Eandem autem, varia varia è terra figendi artem exercuisse, atque iisdem mercibus inclaruisse veteres Corcyrae Nigrae incolas, egregie contestatus *Aristoteles*, aut quisquis est auctor libelli: περι θαυμασίων ἀκκυσμάτων, in quo ita lego: λέγεται δὲ μεταξύ τῆς Μεντορικῆς, καὶ τῆς Ἰστριανῆς ὄρος τὸ εἶναι τὸ καλέμενον Δέλφιον, ἔχον λόφον ὑψηλόν. Ἐπὶ τῆτον τοῦ λόφου ὅταν ἀναβαίνωσιν οἱ Μέντορες, οἱ τῶν Ἀδελφῶν οἰκῶντες, θεωροῦσι τὰ εἰς τὸν πόντον ἐσπλέουσα πλοῖα. Ἔναι δὲ τινὰ καὶ τόπον ἐν τοῖς ἀναμέσον διασήμασιν εἰς ὃν ἀγορᾶς κοινῆς γενομένης, πωλεῖσθαι παρὰ μὲν τῶν ἐκ τῆς πόντε ἐμπόρων ἀναβαινόντων τὰ Λέσβια καὶ χίᾶ καὶ Θάσια, παρὰ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἀδελφῶν τὰς Κερκυραϊκῆς ἀμφορεῖς. Locus longiusculus, ut sententia sibi constaret, adferendus erat, quem ita latine reddo: *Mentoricam inter & Istrianam regionem mons esse fertur, Delphius dictus, elato vertice conspicuus. Hunc verticem conscendentes Mentores, qui ad sinum Adriaticum habitant, speculantur navigia, in pontum venientia. Fertur quoque locus esse, æquo utrinque intervallo distans, in quo, nundinis publice constitutis, venduntur à Mercatoribus è ponto venientibus, vina Lesbia, Chia, & Thasia, ab aliis Mercatoribus Adriatici sinus, Corcyren-*

ses amphoræ. Hic sane cum *Adriatici* mercatores, Corcyrenses amphoras venum adferre dicantur, nulla ratione Corcyram, Jonico mari cinctam, intelligere licet. Quod vero non Κορκυραϊκὴς, sed Κέρκυραϊκὴς scriptum habeatur, dixerimque superius Corcyram Phæaciam plerumque Κέρκυρα, alteram Κόρκυρα scriptam offendi, nihil hic obest; quando & nostra Corcyra, etsi rarius, Κέρκυρα, exprimitur. Dionysii periegetis Commentator *Eustathius ad vers. 494.* Ita præclare de utraque Corcyra: Δύο δὲ Κέρκυραϊ εἰσὶν, ἡ τε Φαιακίς, πρὸς τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ - - - ἑτέρα δὲ Κέρκυρα ἐντὸς τῆς Ἰονίης, διὰ τῆς οὐ μάλιστα λεγόμενης Κόρκυρας, ἡ καὶ Μελαινα καλεσμένη. *Duae autem Corcyrae sunt, Phæacia altera, in sinu Jonio: altera Corcyra intra Jonium (nempe in Adriatico sinu) per o parvum plerumque appellata Corcyra, etiam Nigra cognominata.*

Vasâ hæc Corcyrensiâ *Plinius* quoque, etsi magis generico usus nomine, Corcyrae nostræ adjudicare videtur *Lib. XXXV.* ubi de vasis fictilibus agens, & meliora enumerans, Adriatica Vasâ commendat his verbis: *Adrianis firmitas.*

Neque illud mihi hic aliquis objiciat: non videri exiguam, & haud ita clari nominis insulam, ac urbem monetæ cudendæ aut habuisse exercitium, aut jus à Romanis obti-

obtinuisse. Sunt enim veterum scriptorum testimonia complura in promptu, quæ vetustatis memoriam, claritatemque nominis huic nostræ Corcyræ asserant; quippe cuius & Historici quidam, & Geographiæ scriptores veteres, præcipui nominis, omnes meminerint.

Bellum Illyricum, quod anno V. C. 524. coeptum, & anno altero cum Teuta, Illyrici Regina, gestum, atque confectum est à Romanis, *Polybius Lib. II.* describens, frequenter Corcyræ meminit: eandem à Teuta primum occupatam, subinde à Romanis receptam esse: mox Issios quoque, & Pharum in Romanorum potestatem venisse, dedente sese Demetrio Phario. Similia de Corcyra memorat *Appianus de bell. Illyr. Romani Corcyram, Pharum, Issios (Issios) atque Epidamnum acquisivere --- Corcyram, & Apolloniam libertate donavere.* Quibus vero libertas data est, monetæ quoque stantæ, ac feriundæ potestatem confirmatam, aut indulgam esse, non est incongruum. Victoriæ typus in duobus numis nostris pervetustis, hanc Romanorum victoriam, quæ Corcyræ huic libertatem peperit, indicare potest.

Corcyram vero, de qua dictis locis *Polybius, & Appianus* agunt, Nigram intelligi oportere (etsi alibi nonnunquam dubie loquantur, atque etiam de altera Corcyra,

cyra, dum de itinere, & appulsu Classium agitur, accipi possit pars narrationis) ex eo manifestum fit; quod uterque scriptor Corcyram cum Issiis, & Pharo eadem narrationis serie jungat. Fuisse vero Corcyram nostram Issiis, & Pharo proximam, Geographiæ antiquæ Principes omnes contestantur. *Strabo Lib. II.* de Adriatico sinu: Ἐτι δ' Ἰσσα, καὶ τραγέριον, καὶ ἡ Μέλαινα Κόρυρα, καὶ Φάρος. Præterea Issa, & Tragurium, & Nigra Corcyra, & Pharus. Idem paullo aliter profert *Ptolemæus lib. III.* ad finem: Τῇ δὲ Δαλματία νῆσοι παράκεινται Ἰσσα καὶ πόλις. Τραγέριον καὶ πόλις. Φαρία καὶ πόλις. Κόρυρα ἡ Μέλαινα. *Dalmatiæ vicinae jacenti insulæ: Issa, etiam urbs, Tragurium, etiam urbs, Pharia, etiam urbs, Corcyra Nigra.* Eisdem omnino insulas, nisi quod loco Tragurii Melitam inferat, consociat *Agathemerus Hypotyp. Geogr: lib. I. Cap. 5.*

Non sunt prætereunda silentio *Plinii* verba *Lib. III. Cap. 26.* quibus eadem confirmans, aliud quoque de origine Corcyrensi nos docet: *Issa Civium Romanorum, & cum oppido Pharia: Corcyra, melena cognominata, cum Gnidiorum oppido distat XXV. M. passuum, inter quam, & Illyricum Melita.* Gnidios, seu Cnidios Coloniam in Corcyram deduxisse, *Scymnus etiam, & Strabo Lib. VII.* Confirmat, qui posterior Corcyram Nigram

gram *Κνιδίων κλισμα*, *Gnidiorum Coloniam* appellat.

Ea res hic rursus aliquid offert, quod cum numis *Corcyrae Nigrae*, quos protulimus, non illepide congruere videatur; quando *Gnidiis* eadem est terra marique, quae in aere suo *Corcyrenses Coloni* ostentabant, emolumenta provenisse, apud veteres scriptores reperio, aut in ipsis numis conspicio. *Pisciculorum* capturam celebrem ad *Gnidum* fuisse, discimus ex *Aristotele*, lib. VI. *histor. animal. Cap. 15*. *Eubulus* apud *Athenaeum Dipnosoph, Lib. 1*. commendat inter caetera *Κνιδια Κεράμια*, *vasa figlina Gnidiorum*. Denique *Bacchum*, & *botros* in monetis suis consignarunt *Gnidi*, uti apud *Vaillantium*, & *Harduinum* videre est. *Propria* igitur, & *Metropoleos* quoque suae, *fertilitatis*, & *emolumentorum* symbola in aere suo *Corcyrenses* exprimebant, qui *Graecae* item linguae usum a *Gnidiis* accepisse videntur. *Gnidus* enim, quanquam *Cariae* urbs esset, *Graecis* tamen a civibus, ut aliae permultae *Asiae* urbes incolebatur, etiam a *Seylace*: πόλις Ἑλληνικὴ urbs *Graecanica* appellata.

Romanorum quoque monumenta vetera in hac nostra *Corcyra* non desiderari, fidem facit *Joannes Lucius*, qui inter *Inscriptiones Dalmaticas*, unam ex *Aldo* refert,
 quae

quæ in Scopulo Corcyræ Nigræ prope Franciscanos reperta est, & ita habet.

D. M. S.

URSINUS. ET.

EUTYCHIA. PARENTES.

INFELICES. URSINO.

FILIO. PIENTISSIMO.

POS.

ANN. XXV.

Expositis iis, quæ ad Coreyram hanc nostram, numorum ope illustrandam faciunt; illud etiam probabili è dictis sequela deduci posse videtur: numos illos, qui singulari symbolo diversas vasorum figuras in eadem facie exhibent, cum epigraphe ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, aut ΚΟΡ. Nigræ potius, quam Phæaciæ Corcyræ adscribendos esse: ubi præsertim fabricæ ratio numis nostris similior deprehenderetur. *Goltzius* & *Begerus* numum unum, alterumve simili cum typo fistunt: atque unum quidem, in cuius facie eadem, tria adeo variæ formæ vasa exhibentur, cum epigraphe ΚΟΡΚΥΡΑΙ. alterum, præter amphoram, botro decoratum, cuius inscriptio ΚΟΡ.

De origine Nominis Κόρυρα, vel Κέρυρα, cum certi nihil habeamus, vix operæ pretium me facturum putabam, si aliquid adnotarem. *Pausanias lib. II, Cap. 5.* adstipu-

pulante *Stephano* à *Corcyra*, *Asopi* Filia, originem petunt: alii à voce *Κέρκυρας*, quæ brevioris navigii genus significat, quo harum insularum incolæ præcipue usi fuerint.

Numus *Corcyræ Nigræ*, qualem primo loco proposui, etiam habetur in *Cimelio* celeberrimi *Monasterii Gorviciensis*, quod Reverendissimus, & Eruditissimus Dominus ejusdem *Monasterii Abbas GODEFRIDUS*, cum aliis pretiosissimis *Rei Literariæ* opibus, ad totius *Austriæ nostræ* ornamentum collegerat.

Numi *Cauloniæ*.

Quarum rerum uberiore proventu felices essent populi, earum signa suis monetis intulisse, in *Corcyræ Nigræ* numis vidimus. Similibus quoque Symbolis numos suos ornasse *Cauloniatas*, in præsentis dispiciemus. *Cauloniæ* *Italicæ* originem, fata, soli ubertatem, atque hæc ipsa in hujus urbis numis expressa, propterea pluribus exequi constitueram; quod, qui hac de re scripserunt, alii non satis recte quædam, alii non satis: quidam ingeniosa, & arguta potius, quam vera, aliqua adnotaverint.

Duos *Cauloniatarum* numos, ab aliis non dum prolatos, qui singularia quædam præ se ferunt, exhibebo; illorū quoque numis-

mismatum, quos ante me alii produxerunt, ut res tota melius illustretur, mentionem faciendam duxi. Atque ut suo omnia ordine procedant, primum de Caulonia nominibus, origine, situ, casibus agam: deinde ea, quæ ad numerorum expositionem pertinent, ita pertractabo; ut posteaquam, quæ fuerit aliorum sententia, exposuero: quæ meæ sint opiniones, in medium proferam.

Urbs hæc, quam ornandam suscipimus, *Caulon*, & *Aulon*, item *Caulonia*, & *Aulonia*, apud veteres Auctores scripta reperitur. *Caulon* appellatur à *Virgilio*, lib. III. *Æneid.* v. 553.

*Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti,
Cernitur, attollit se Diva Lacinia contra,
Caulonisque arces.*

Eodem nomine usi sunt *Plinius* lib. III. & *Ovidius metam*: lib. XV. v. 705, ubi ita canit:

-- *Caulonaque, Naritiamque,
Aulon vero dicta est hæc urbs ab Hora-
tio* lib. II. *Carm: Ode 6.*

- - - *Amicus Aulon
Fertilis Baccho nimium Falernis
Invidet uvis.*

Martiali quoque lib. XIII. *Epigr: 125.* appellatur: *Felix vitibus Aulon, Aulonix u-
na,*

na, & Cauloniae nomen commemorat *Strabo lib. VI.* & originem attingit: Μετὰ δὲ τὴν Σάγραν, Ἀχαιῶν κίσιμα Καυλωνία, πρότερον δὲ Ἀυλωνία λεγομένη διὰ τὸν προκείμενον ἀυλῶνα, ἔστι δὲ ἔρημος. Post Sagram est Caulonia, Achaeorum colonia, antea Aulonia dicta, propter adsitam vallem (ἀυλῶνα) nunc deserta.

Utriusque hujus nominis meminit quoque *Stephanus*, & pro Aulonia, vitiose dictum putat Caulonia, ut *Epitaurus*, pro *Epidaurus*: addit gentile nomen, quale numi comprobant, Καυλωνιάτης. Cauloniae nomen a plerisque scriptoribus veteribus usurpatur, à *Diodoro Siculo*, *Pomponio Mela*, *Pausania* &c.

Nominis originem, & urbis ipsius, aliam, quam *Strabo* prodiderat, adfert *Servius* in *Virgilio* locum supra laudatum: cujus haec sunt verba: Caulon mons est Calabriae, in quo oppidum fuit, à *Locris* conditum - - - alii à *Caulo*, *Clitæ Amazonis Filio*, conditum tradunt. Rursum vero ipse *Strabo libro citato*, à *Siculis*, qui antea urbem Cauloniam in Sicilia habitabant, alteram hanc Cauloniam in Italia conditam, seu potius Auloniam instauratam esse testatur; postquam ipsi nempe à Barbaris suis sedibus exacti fuissent. Alterius in Sicilia Cauloniae *Stephanus* quoque memoriam conservavit.

Ad Conciliandas has, quibus in diver-

B

sa,

fa abeunt , de Cauloniæ Conditoribus veterum scriptorum sententias, Diodorus, Pausanias, & Livius facem præferunt , è quibus colligo ; ter Cauloniam Italicam conditam, ter everfam fuisse, usque ad primum Augustorum sæculum, ad cujus medium vixit Strabo.

Condita primum est ab Achæis Aulonia, vel Aulon, & quidem duce Typhone Ægiensi, uti cum Strabone Pausanias perhibet; atque adeo illam de Caulo, Amazonis Filio, sententiam, quam è vulgi rumusculis dubius ipse Servius refert, ad fabulas ablegandam censeo. *Pausanias* his rem complexus est verbis, *Lib. VI.* Καυλωνία δὲ ἀπὸ κίδη μὲν εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ Ἀχαιῶν. οἰκιστῆς δὲ ἐγένετο αὐτῆς Τύφων Ἀργιεύς. *Caulonia* (tum Aulonia) est ab Achæis in Italiam deducta Colonia, Conditor ejus fuit Typho Ægiensis.

Primum everfa est à Dionysio Seniore, Syracusarum Rege, circa annum V. C. 366. De quo Auloniæ casu, ejus incolis Syracusas abductis, ita *Diodorus Sic. Biblioth. Histor. lib. XIV.* scriptum reliquit: Τὴν δὲ πόλιν καταστέψας τοῖς Λοκροῖς τὴν χώραν Καυλωνιατῶν ἐδώρησατο. *Urbe everfa Dionysius, regionem Cauloniatarum Locrensibus dono dedit.*

Interea temporis Cauloniæ Siculæ cives à Barbaris, uti *Strabo lib. VI.* refert, suis se-

sedibus expulsi, in Italiam ad Locrenses con-
fugere, qui Auloniam eversa agrum ipsis co-
lendum concesserunt, atque ad condendam
novam Cauloniam Auctores, Adjutores-
que fuerunt. Inde factum existimo, ut Stra-
bo Siculos Cauloniatas, Servius vero Lo-
crenses, restituta Cauloniae Conditores, re-
cte aliquo modo uterque, compellaret.
Ob hanc quoque Locrensi in Siculos
Cauloniatas benevolentiam, auxiliumque,
videtur aliam adhuc Cauloniam *Stephanus*
in Locrensi agro constituisse: Ἐστὶ καὶ ἀλλὴ
Λοκρεῶν.

Subinde Pyrrho Epirota Italiam bel-
lis miscente, alteram ruinam Caulonia su-
biit circa annum V. C. 477. Factum id ef-
se à Campanis, Romanorum in eo bello
sociis, narrat *Pausanias lib. VI.* Πύρρος δὲ τῆ
Ἀιακίδε, καὶ Ταραντινῶν ἐς τὸν πρὸς Ῥωμ-
αῖς πόλεμον καταστάντων, ἀλλὰ τε τῶν
ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐγένοντο αἱ μὲν ὑπὸ Ῥω-
μαίων, αἱ τε ὑπὸ τῶν Ἑπειρωτῶν ἀνάστατοι.
Κατέλαβε δὲ ἐς ἅπαν ἐρημωθῆναι καὶ τὴν Καυ-
λονίαν, ἀλῆσαν ὑπὸ Καμπανῶν οἱ Ῥωμαίων με-
γίστη τῆ συμμαχικῆ μοῖρα ἦσαν. Pyrrho au-
tem *Aecide*, atque *Tarentinis adversum Roma-
nos belligerantibus*, aliae Italiae urbes ab Romanis,
ab Epirotis aliae eversa sunt. *Accidit autem, ut
Caulonia omnino deserta facta fuerit, capta à
Cam-*

Campanis, qui pars maxima erant sociorum Populi Romani.

A quibus tertium erecta fuerit Caulonia, certi nihil habeo, quod proferam; suspicor à Crotoniatis id factum esse. Nam *Solinus Cap. 8.* à Crotoniensibus Cauloniam conditam memorat; quos ad hæc tempora referre, cum Conditores aliorum temporum alios jam teneamus, non importunum fore arbitrabor. Instauratam tamen tertium fuisse Cauloniam, ex *Livii lib. XXVII. Cap. 14.* Constat. Narrat is, Cauloniatas bello Punico secundo ab Hannibalis partibus stetitisse, & urbem eorum à Valerio Lavino, jussu Q. Fabii Maximi oppugnatam, ab Hannibale obsidionem solutam fuisse. Romani perfidam urbem sub finem belli hujus Punico diruisse videntur; cum constet, Strabonis tempore desertam fuisse, quod & *Plinius lib. III. Cap. 10.* perhibet, nec alia bellorum occasio assignari fortasse possit, qua deinde Caulonia ruinam subierit.

Quonam tempore, post Plinii ævum, rursus locus iste habitatores nancisci cœperit, porro inquirere nostri non est instituti. Nunc est exiguum oppidum, vulgo *Castel vetere* dictum, quod à *Gabriele Barrio lib. III. de antiquit:* & situ *Calabriæ*, ita describitur post Crotonem: *Inde est Castrovetum oppidum, edito, salubrique loco situm inter Alarum,*

Et Musam amnes, torrentinis, Et anguillis secundos, undique rupibus septum &c. Aulon quidem vallem, planitiemque, ac florida loca significat, Caulonia vero jactantiam, quod ob loci salubritatem, rerumque opulentiam præcellat. De Cauloniæ nominibus, origine, situ, & ca-
sibus, ad illustrandos facilius numos veteres, tantum.

Cauloniatarum numos, quos haud ita magno numero detexerunt Antiquitatis studiosi, omnes ante ruinam, quam exeunte bello Punico secundo subiit Caulonia, cufos esse, ex eo liquet: quod longissimo deinceps tempore desertus ille locus jacuerit, & numi magnam vetustatem præ se ferant. Neque tamen horum, quos tenemus, aliquos ante primum hujus urbis excidium percussos esse puto; quod & fabrica sit perelegans, & omnes ΚΑΥΛΟΝΙΑΤΑΝ, non ΑΥΛΟΝΙΑΤΑΝ. inscripti reperiantur.

Quatuor Cauloniatarum numos in Magna Græcia Goltzius protulit, qui ita habent:

Jupiter nudus stans, sinistra extensa, ex qua cænia pendet: dextra fulmen gerit, ex parte monogramma, quod vide Tab. I. num. 3. legendum conjicio Τύφων, qui fuit primus, uti diximus, Cauloniæ Conditor.

ΚΑΥΛΟΝΙΑΤΑΝ. *Cauloniatarum.* Cereus stans. Hunc numum etiam Begerus exhibuit. Sequitur alter.

162

B 3

KAT.

KAY. Jupiter, sine tania, ex parte Cervulus.

KATAΩNIATAN. Cervus, vas, & litera Φ. Fortasse loco Q lectum est Φ. Nam prior ille Character, vetus Koph, Κροτωνιατῶν signum etiam in veteribus numis erat. De Crotoniatis Conditoribus dictum est. Sequitur tertius.

KAY. Jupiter solita figura.

KATAΩNIATAN. Cervus, & ramus, cum monogrammate, quod vide Tab. I. num. 4. Ramus lauri esse videtur. Sequitur quartus Goltzii.

AYAK. pro KAYA. inverfo Situ. Jupiter.

AYAK. Cervus, & ramus, qui oleæ simillimus. Vide Tab. I. num. 5. Doctissimus Begerus in *Thesauro Brandenburgico* alium adjicit, en illum!

Jupiter stans, d. fulmen torquet, super sinistra extensa masculus nudus stat, expansis manibus; ea figura Begerus putat Diconem Cauloniaten, celebrem athletam, aut cervorum venatorem indicari: mihi posterius placet.

Cervus stans.

Sola

Sola epigraphe ab aliis diversum, è Cimmelio Galliarum Regis, R. P. *Harduinus* protulit numum sequentem:

KATA. Jovis Tonantis, ac cervi effigies.

ATAK. inverse pro KATA. Cervus.

Nostri duo numi ita habent, quorum typos vide Tab. I. num. 6. & 7.

Jupiter nudus stans d. fulmen, S. extensa, sub qua Cervulus, & aratrum: ad dextram Apis collectis alis:

KATAΩNIATAN. *Cauloniatarum*. Cervus bene latis cornibus, quibus annosi cervi superbire solent: unicum tantum cornu apparet; in area ramus frugifer. Est argenteus, elegantissimus. Sequitur alter.

Jupiter solita figura: in area rude Cornu Copiæ, & Piscis.

KATAΩ ----- N. Cerva stans. Argenteus, mediæ moduli, uti & præcedens.

Numorum istorum perpetuum, ac velut proprium Jovis tonantis, ac Cervi esse symbolum videmus. *Barrus loco laudato*, minus recte, in numis, fortasse multum attritis, figuram illam nudam stantem agnovisse videtur; nam fulminis loco eidem palmæ ramum tribuit, & *Cresum* (ita legit) nescio quem, referri existimat, qui, cum cervum fugaret, in fluvium prolapsus sit.

Historiam similem apud *Pausaniam Lib. VIII.* forte legerat Barrius; ast illic de Arcadia fermo, nullumque illi venatori nomen datur: nisi forte ob jaculandi peritiam, qua Cretenfes, teste *Æliano histor: Var: lib. I.* excellabant, Cres vel Cressus fuerit à Barrio appellatus. Sane Jupiter Tonans, in omnibus, quos retuli, Cauloniatarum numis exhibitus, facile Barrium cum incerta sua historia refellit.

R. P. *Harduinus* Jovem Tonantem, cum Cervo, illo loco *Psalmi XXVIII. v. 9.* ingeniose illustrat: *Vox Domini præparantis cervos.* Quod de tonitruï fragore accipiendum moment interpretes, quo cervarum partus promoveatur. Magis id adnotare poterat, si Cervam, quam in solo nostro numo intuemur, consignatam offendisset. Existimo tamen Cauloniatas, quod nunc inquiri, tam ingeniosos vix fuisse, ut huc respicerent.

Doctissimus *Begerus*, cum Achæorum coloni fuerint Cauloniata, & e *Strabone* constet: apud Achæos celebre Jovis templum, frequentes item cervos fuisse; erudite conjicit, hæc esse vetusta Achæorum signa, à Cauloniatis in Conditorum memoriam assumpta. Non eo inficias, ad Conditorum quoque symbola allusisse his
fi-

figuris Cauloniatis; vix tamen, quod domi suppetit, foris esse quærendum mihi persuadeo.

Itaque Jovis figura indicari credo (quod post Goltzium, etiam obiter monuit Bege-
rus) cultum Jovis *Ἰουπέως*, quasi dicas: *Confinis*, seu *Finium Tutatoris*. Homorii enim Jovis celebre templum à Cauloniatis, fœderatisque populis constructum esse *Polybius lib. II.* perhibet, verba etiam *Barrius* alia occasione (etsi in editione Grævianæ Collectionis male *Aristotelis lib. II. Pol.* loco *Polybii* adducatur auctoritas) ita protulit: *siquidem Crotoniata, Sibarita, Caulomata, compositis inter se unanimiter rebus, primo Omenii (legendum Homorii) Jovis templum publice constituerunt, ubi & conciones fieri, & cum populo agi possit.*

Cervorum figuras ad cervorum frequentiam, quibus abundat Cauloniæ ager, omnino refero. *Barrius libro laudato: Fiunt venationes uberes aprorum, cervorum, & aliorum silvestrium animalium.* Certe alias quoque fertilis terræ divitias in argento signavere Cauloniata. In numo nostro apis mellis præstantiam, copiamque indicat: aratrum agriculturæ opes; vas in Goltziano numo vini ubertatem, & una vasorum, quæ illic fingerentur, bonitatem jactat: oleæ

ramus, olei proventum prodit. Quæ omnia, præter Poëtas, initio productos, *Barrius* rursus confirmet, regionis hujus apprimè gnarus: *Fiunt Cauloniæ vina, bonitate mirifica, item olea, & mella clara, & caseus, & hippaces laudatissimi, & siglina opera non vulgaria.* Piscium quoque, exquisiti saporis, copia, quos duo amnes *Alarus, & Musa* sufficiunt, piscis effigie in numo nostro commendari viderur, qua de re superius è *Barrio* injecta est mentio: qui idem soli salubritatem, ac fertilitatem in univèrsam commendat, quæ in numo nostro *Cornu Copiæ* exprimitur, & ab *Horatio* quoque comprobatur, dum *beatam* prædicat *Cauloniam*, *ode citata*:

Ille Te mecum locus, & beatæ

Postulant arces.

Antequam de planta, in nostro numo elegantissimo expressa, aliquid proferam, *Goltzii* opinionem hic præterire silentio non possum, qui ramusculos in numis suis expressos, propterea, quod *Cervo* adsignatos videret, illico *Dictamni* nomine compellavit. *Eruditissimus Spanhemius de usu, & præstantia Vet. Num. Tom. I. Dissert. 6. §. 8.* de *Goltzii* lapsu dubitat, & lauri ramos dicere mavult. Atque ego quoque alterum ho-

horum ramusculorum, in numo III. lauri esse existimo, tum ex figura ipsa, tum ex adjecto monogramate AII. quo Apollinem honoris ergo designasse videntur, cui laurus sacra: vel quod multa laurus apud Cauloniam cresceret, quam Apollini gratam credebant.

Illa vero de Dictamno opinio mihi plane nullo modo sustineri posse videtur. Nam primum, uti docet *Theophrastus lib. IX. hist. plant. Cap. 16. τὸ δὲ Δίξιμοννον ἰδίον τῆς Κρήτης. Crete proprium est Dictamnium.* Atque illic quoque, si Plinio fides, non spatiose subnascitur. Alienam vero herbam cur signarent Cauloniatæ? Deinde forma ipsa ramusculorum in Goltzianis numis, nihil sane, aut omnino modicum, ad Dictamni speciem accedit; quæ herba, si eam, quæ à plerisque recepta est, sententiam sequar, & formam contempler, quæ apud Rovillium, Mathiolum, Tabernæmontanum, & alios expressa habetur, est foliis prope orbiculatis, ea fere forma, & ordine, quo Numularia: singulisque caudicibus è terra enascitur, & oblongos in apice strobilos profert. Si vero ex Arabum Auctorum mente, de quibus *Gesnerus in Cervo*, Pulegium Cervinum, verum Dictamnium, aut simillimum certe Dictamno esse dicam, cujus formam melius, atque alteram modo relatam, Elyriorum,

in

Creta, numus, à Spanhemio relatus, exprimit; Goltzianis tamen ramusculis, qui ab hac quoque forma abludunt, nihilo magis Dictamni nomen asseretur. Discrimen istud clarius ut pateret, numum illum Elyriorum hic quoque recudendum curavi Tab. I. Num. 8.

Neque dicere juvat: fortassè hic Pseudictamnium signatum fuisse; quod id non in sola Creta provenisset, teste *Dioscoride lib. III. Cap. 443.* Τὸ δὲ ψευδοδίκταμον καλέμενον φύεται ἐν πολλοῖς τόποις. *Planta, Pseudodictamnium dicta, multis in locis nascitur.* Verum cum ramusculi isti sincero Dictamno dissimiles sint, adulterino quoque esse similes non possunt; quando eadem forma Pseudictamno, si folia spectes, quæ Dictamno vero, à *Theophrasto* tribuitur *lib. 9. cap. 16.* Τὸ δὲ ψευδοδίκταμον τῶ μὲν Φύλλῳ ὁμοιον, τοῖς κλωνίοις δὲ ἐλάτλων. *Pseudodictamnium est folio quidem simile Dictamno, minoribus tamen ramis.*

Denique quod Goltzium impulsisse videtur maxime, ut ramusculos illos Dictamno tribueret; id me, uti id negem, adducit maxime: nempe Cervo assignatos esse hos ramos. *Plinio* vero teste *lib. XXV. Sect: 53.* Dictamno tanquam præsentissimo remedio utuntur in Creta Cervi, ad ejicienda è corpore jacula, quibus à venatoribus confixi sunt.

sunt. At enim aliter nos docent, è quibus
 sua quoque hausit Plinius, *Aristoteles περὶ
 θυμασίων ἀνοσμάτων*, & *Theophrastus lib.
 IX. hist. Cap. 16.* Qui Dictamnium à Capris,
 non à Cervis in Creta dictum in fi-
 nem expeti contestantur. *Aristotelis* hæc sunt
 verba: *Αἱ ἐν Κρήτῃ αἰγες, ὅταν τοξευθῶσι,
 ζητῶσιν, ὡς ἔοικε, τὸ Δίκλαμνον, τὸ ἐκεί φύ-
 μενον. ὅταν γὰρ φάγωσιν, ἐυδύς ἐκβάλλουσι
 τὰ τοξεύματα.* *Caprae in Creta, dum sagittis
 figuntur; quarunt, uti fertur, dictamnium, quod
 illic nascitur; nam continuo, atque comederint,
 sagittas ejiciunt.* *Ælianus*, etiam egregius re-
 rum naturalium scriptor, nequaquam Plini-
 um, qui medio fere sæculo præcesserat, cæ-
 ce sequutus est; sed veterum fontes consu-
 lens, Capris non Cervis, Dictamni usum
 adscripsit *Libro I. Histor: Var: Goltzianis* ita-
 que in numis, si omnia spectem, nequa-
 quam Dictamni, sed, quod forma ipsa, &
 foli ingenium suadet, lauri, & oleæ ramum
 effictum esse, dicendum videtur.

Jam vero cujus esse plantæ putem ra-
 mum, fructibus secundum, qui in nostro
 numo elegantissime, curatissimeque expres-
 sus habetur, porro dispiciendum est. Est
 vero hic ramus à Goltzianis juxta, atque à
 Dictamni forma plane abhorrens; & quan-
 quam optime in argento (utinam ita in ico-
 nismo) ac distincte lineamenta omnia effi-
 cta

eta sint; fuit tamen non mihi modo, sed
 Botanica rei peritioribus, quos consului,
 arduum visum eam plantam agnoscere.
 Plantarum fere omnium, quibus cervi gau-
 dent, quæque Calabriae climati conveniant,
 effigies excussi; nempe Elaphoboscum, seu
 ut etiam Dioscorides nominat, Eleliph-
 scum, Sefeli, Spinam Cervinam, Cynaram,
 seu Carduum altilem, Sambucum Silvestrem,
 Arum, & si quæ sunt aliæ: verum aliqua
 harum, ut Elaphoboscum, Sambucus, Sese-
 li non satis, aliæ nihil omnino similitudi-
 nis cum planta nostra offerebant. Folia
 equidem si spectem, vitem dicerem; sed
 grana plura, nec è tam longo pediculo
 pendentia, si vitis efficta esset, numus re-
 ferret: quoniam & botris avide inhiant cer-
 vi, & vini generosi fertilis erat ager Cau-
 lonia. Denique, siquidquam cervis pro-
 prium hic quærendum est, *Solanum* hac plan-
 tæ nostræ effigie repræsentari puto; cum
 inter *Solani* varias species, sit etiam ejusmo-
 di reperire, quæ folio ad vitem proxime ac-
 cedat, & grana quoque simili, ut numus
 habet, figura proferat: qualis est illa *Solani*
 species quæ quidem *Hortensis*, Græcis τεύχ-
 νος vel στεύχνος κηπᾶιος dicebatur, sed Ro-
 villio vade, jam vulgo, & invitibus cultoribus
 crescit, ut Silvestrium plantarum ordini ac-
 censerî possit. De hoc, aut simili Solano
 Ges-



Tab. i.

Post paginam 30.





Tab. i.

Post paginam 20.





Ges
fert
ricu
liter
in u
mod
san
fere
zum
lano
fetu
star
num
cet
glar
ras
nem

A

star
ma

qu
ftra
qu
nor



Gesnerus in Cervo ex Hieronymo Trago hæc refert: Cervi, mares duntaxat, Solani genus silvaticum, nostri baccas soporiferas vocant, & similiter Sambucum Silvaticam, sive Montanam, cui in umbellis grana croci instar rubent, mirum in modum amant, & per æstatem illic plerumque versantur, ubi hæ plantæ virent: solent enim iisdem fere locis nasci. Depascuntur autem frondes tantum, non etiam baccas. Fœmina utrisque tum Solano, tum Sambuco jam dictis abstinet: nisi cum fœtum masculinum gestat; tunc enim marium instar eis delectatur. Est vero in hoc nostro numo cervus mas. Si ne hoc quidem placeat; dicam ramusculo nostro, quod fagi glandiferæ prope similis sit, silvas glandiferas indicari, quibus Cauloniatarum regionem abundare Barrius testatur.

Numus Mamertinorum.

A ΔΡΑΝΟΥ. *Adrani.* Caput galeatum, promissis crinibus, & barba.

MAMEPTIN. *Mamertinorum.* Canis stans. Tab. II. Num. 9. Æneus parvæ formæ.

Profertur quidem inter Parutæ numos, quos Doctissimus *Havercampius* auxit, & illustravit, similis utriusque faciei typus; sed, quod nullibi me vidisse memini, *Adrani* nomen adscriptum non comparet. Felicit

ter

ter quidem, & erudite Havercampius ad similem galeati capicis figuram coniecit: Deum Adranum referri; sed monumenti veteris certa deerat auctoritas, quam hoc numo sufficimus.

Messanenſes in Sicilia, cum à Mamer-
tinis, Brutiorum populo, in poteſtatem re-
ducti eſſent, Mamertinorum ſubinde nomi-
ne fere compellatos fuiſſe, *Strabo lib. VI. &*
Plinius lib. III. docuerunt. Numus hic no-
ſter ad Siciliam referendus eſſe, vel ob ip-
ſam *Adrani* epigraphen, videtur. Proprius
ſiquidem, & Indigena Siculorum Deus A-
dranus eſt habitus. De eo ita *Plutarchus in*
Timoleonte: Ἀδρανῖται πόλιν μικρὰν μὲν, ἱε-
ρὰν δὲ ἔσαν Ἀδράνε Θεῷ τινὸς τιμωμένε ἐν
ὅλῃ τῇ Σικελίᾳ, κατοικῶντες. *Adrianitæ* exi-
guam quidem urbem, ſacram tamen Deo cuidam
Adrano, qui in tota Sicilia colitur, inhabitant.
Templi quoque huius *Adrani* meminit *Æ-*
lianus lib. XI. Hiſt. animal. Cap. 20. Ἐν Σικε-
λίᾳ Ἀδρανός ἐſτι πόλις, ὡς λέγει Νυμφόδο-
ρος, καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδράνε νεῶς, ἐπι-
χωρεῖς Δάιμονος, πάνυ δὲ ἐναργῆ φησὶν εἶναι
τῆτον. *Est in Sicilia urbs Adranus, ut ait Nym-*
phodorus, atque in ea urbe templum Adrani, Dei
Indigenæ; ferunt porro illuſtre omnino eſſe illud
templum. Adranum quoque ἀντονομαſτικῶς
Heroem ſiculum dictum fuiſſe, ex Macrobio,

&

& Hefychio laudatus *Havercampius* comprobatur; Macrobius enim Xenagora refert: Palicos, celeberrimos Siciliae Heroes, vel Deos, suafisse Siculis, ut Heroem Siculum invocarent, idque ipsis profuisse. Hefychius vero Adranum Palicorum Patrem facit: unde pronum illatu est, quem Heroem Palici monuerint à Siculis invocandum. Illud solum hic e *Stephano* in Vocabulo Παλιχῆ adnoto: *Æschylum*, in *Æneis* Jovis, ac *Thalix* Filios dixisse Palicos, eosdem à *Sileno* lib. II. de *Ætna* Vulcano, & *Oceano* parentibus tribui.

Ut ut se res habeat cum Palicorum parentibus, illud ob numi nostri Epigraphen mirari subit: ecurr in Adrani urbis numis, qui hactenus prolati sunt, nusquam Adranus Deus legatur; quanquam hæc urbs in Adrani Dei honorem à *Dionysio* condita, & hoc nomine ob templum Adrani insignita sit: quod, præter laudatos Auctores, *Diodorus Siculus* lib. XIV. perhibuit; Ejustamen Dei in Mamertinorum numis conspiciatur effigies, & legatur nomen. Cum vero Mamertini in aliis suis numis Martis effigiem, & simile etiam nostro caput galeatum, cum epigraphæ ΑΡΕΟΣ, *Martis*, præsentarint, & fuerit Mars eorundem præcipuus Deus, à quo, teste *Festo Pompejo*, *Mamertini* dicti sint; cum *Mamers* Osca lingua

C

Mar-

Martem significaret: suspicari ex his omnibus, & numi nostri imagine cœpi, an non apud Siculos ipse quoque Mars *Adriani* nomine venisset? At quoniam veteris scriptoris mihi non suffragatur auctoritas; rem omnem intra conjecturæ limites arcte contineri volo. Quanquam & nominis posset tolerabilis origo assignari, à verbo *ἀεράω*, & τῷ α ἐπιτατικῶς sumpto, ita ut notio esset: *Valde agens, vehementer agens*, quod Marti utique congrueret.

Numus Erycinorum.

Caput barbatum, & laureatum,
fortasse Jovis.

ΑΕΠΠ. ΕΡΥΚ. Λέπιδος Ἐρυκειῶν vel Ἐρυκαίων. *Lepidus, Erycinorum*. Clava. Ex ære parvi moduli, ad medium accedentis. Tab. II. Num. IO.

HUjus numi, qui magnam vetustatem spirat, sparsos epigraphes characteres recte me collegisse arbitror; cum omnia, uti mox exponam, probe inter se se congruant. De urbe Eryce ita *Stephanus*: Ἐρυξ πόλις Σικελίας. Ἀπὸ Ἐρυκὸς τῆ Ἀφροδίτης, καὶ Βύτῃ. Τὸ ἑθνικὸν Ἐρυκίνοσ. *Eryx urbs Siciliae, masculini generis, ab Eryce, Veneris, & Bytæ (alii Butæ) Filio. Gentile Ery-*

Erycinus. De hoc Eryce, præter Hyginum, hæc ad numum nostrum narrat *Pausanias* lib. III. Cap. 16. Ἡρακλέα γὰρ ἔχει λόγος παλαιῶσαι πρὸς Ἐρυκα, ἐπὶ τοῖς δὲ εἰρημένοις. ἢν μὲν Ἡρακλῆς νικήσῃ, γῆν Ἐρυκος Ἡρακλέας εἶναι κραιθέντος δὲ τῇ πάλη, βῆς τὰς Τηρούου. *Fama fertur: Herculem iis conditionibus cum Eryce in certamen descendisse: ut, si quidem superaret Hercules, ipsius esset regio Erycis; si superaretur, Boves Geryonis Eryci cederet.* Hujus pugnae idem Auctor lib. IV. Cap. ultimo mentionem facit. Exitus pugnae hic erat: *Hercules Victor Eryci & Vitam, & regnum eripuit, ut Pomponius Sabinus refert, ab Rev. P. Harduino adductus.* Victorem igitur, ac Dominum suum simplici, quo veteres gaudebant, Clavae signo, Herculem profitentur Erycini. Comprobat hoc alter apud Parutam numus, in cujus altera facie Hercules stans, cum epigraphe ΕΡΤΚΕΙΝΩΝ, in altera caput Veneris Erycinae: cujus celeberrimum templum in præalto montis Erycis vertice, qui urbi imminebat, constitutum fuisse, *Strabo lib. VI.* aliique commemorant.

Jam vero quis hic fit Lepidus, quem numo cohonestarunt Erycini, quidve ipsi in Sicilia deberetur, exponendum est. Existimo signatum hic esse Marcum Æmilium Lepidum, qui cum Octavio Cæs. & Mar-

co Antonio Triumviratu R. P. Constituentæ inclaruit. Lepidus hic (quod legere est apud Plutarchum & Dionem) Octavium, cui id maxime cordi erat, ut Sextum Pompejum omni Sicilia exigeret, suis copiis iu-
vit, ac totam fere Siciliam obtinuit; etsi mox à Cæsare copiis, & libertate agendi privatus sit. Sane Lepidus apud *Dionem lib. XLIX.* Cæsarem culpabat, recensitis omnibus ejus injuriis, reposcensque ea omnia, quæ à conjuratione prima sibi data fuerant, & Siciliam quoque sua opera subactam sibi vindicans. Lepido igitur, tum in Sicilia belligeranti, quemadmodum aliis Triumviris urbes aliæ, hoc numo Erycini observantiæ suæ monumentum exhibuerunt. Erat quoque Lepidus auctoritatis suæ, quam sustinere tamen nesciebat, admodum curiosus; id quod *Dio libro citato* ita expressit: *Ipse, ut collega Cæsaris, omnia æquali imperio (in bello Siculo) administrare: Cæsar autem Lepido in omnibus rebus tantum legati loco uti volebat.* Numus noster cusus videtur anno V. C. 718. quo Lepidus Messanam occuparat, aut anno præcedente.

Macedonum Numi.

Macedoniam a Paulo Æmilio, cum Perseum Regem libertate, & Regno
exu-

exuisset, in quatuor Præfecturas, seu Provincias divisam esse, *Livius lib. XLV. Cap. 29.* nos docet. Comprobant id numi veteres, qui hæcenus prolati sunt, plures cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. sed cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ. unicus à Spanhemio; quæ recte de hac divisione accipientes antiquarii *Macedonum primæ Præfecturæ, & secundæ*, interpretati sunt. Videtur & ille numus minimi moduli (qui à Goltzio, & Harduino non est relatus, quem tamen Begerus exhibuit, & in nostro quoque Cimelio habetur) id confirmare, in quo decussatæ lineæ quatuor in plagas circulum secant cum literis ΜΑ. Μακεδόνων. totidem Præfecturas indicantes. Tertiar, & quartæ Præfecturæ Macedonum numi hæcenus prolati non sunt; noster quartam exhibet, qui ita habet.

Caput laureatum, & barbatum, Jovis.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΕΤΑΡΤΗΣ. *Macedonum quarta.* Clava situ horizontali, quam, & epigraphen querna corona ambit: sunt & monogrammata bina, alterum Μ. & Ε. alterum Ν. & Κ. complectens. Vide Tab. II. Num. II.

De quarta hac Præfectura ita *Livius*:
Quartam regionem Eordæi, & Lyncestæ, & Pelagones incolunt. Juncta his Atintania, & Stry-
 C 3 pha-

phalis, & Elymiotis. Monogrammata legenda censeo: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΕΛΕΥΘΕΡΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. aut omissa etiam voce Ἐλευθερίων, tantum *Macedonum Neocororum*, qui titulus in aliis ipsorum numis habetur. Neque obest, repeti in eadem numi parte idem nomen Macedonum. Nam simile aliquid inferius in Romano, & Amiseno numo ostendam: ut nihil de aliis ejusmodi numis nunc dicam. In hisce Macedonum numis Clava Herculem notat, à quo originem deducebant Reges Macedoniae. Quercea corona, & caput laureatum, Jovis sunt symbola, qui Herculem ex Alcmena genuit.

Numus Argivorum, & una Epidauriorum.

Caput lupi, sine epigraphe.

A. & infra E. Ἀργείων καὶ Ἐπιδαυρίων. *Argivorum & Epidauriorum.* Æneus parvi moduli. Vide Tab. II. Num. 12.

Numi Argivorum, quos adferunt Goltzius, Begerus, & Harduinus, una ex parte lupi protomen, ex altera epigraphen ΑΡΓΕΙΩΝ. vel ΑΡΓ. vel Α. exhibent, sed sine E. quod in nostro numo, supremum ductum, aliquantum ad perpendicularium inflexum, refert; ut II. una cum E. expr-

primeretur, atque, uti nullus dubito, *Ἐπι-
Δαυρείων* notaretur.

Argos vero, quæ princeps est Argoli-
dis in Peloponeso urbs, cum Epidaurō, e-
jusdem Argolidis urbe, singulari quodam
vinculo constringitur. Viciniæ titulo pri-
mum obnoxia est Epidaurus Argo; qua-
propter à Stephano ita memoratur: *Ἐπίδα-
υρος πόλις πρὸς τῷ Ἄργει. Epidaurus urbs
prope Argos.* Deinde olim Argivis parebant
Ἐπιδαυρίοι, teste *Pausania Corinth: Cap. 26.*
*Διηφόντες δὲ, καὶ οἱ Ἀργεῖοι τὴν Ἐπίδαυρον
ἔσχον. Deiphontes, & Argivi Epidaurum obti-
nuerant.* Denique Conditorum quoque ar-
ctissimo vinculo hæ duæ urbes obstringeban-
tur; id quod rursus *Pausanias eodem loco per-
hibet: Ἦν Ἐπιδάυρω πάτην Ἄργος, ὁ Διὸς.
Ἐπιδάυρειοι δὲ Ἀπόλλωνι Ἐπίδαυρον παῖδα
πρὸςποιῶσιν. Epidaurō pater erat Argus, Jo-
vis Filius. Epidaurii tamen Apollini Epidaurum
Filiū tribuunt.*

Atque apud Argivos quoque vetustis-
simus erat Apollinis cultus, quem *Λύκαιον*,
Lupinum compellabant propterea; quod, ut
Pausanias enarrat, infestati à lupis Argivi,
oraculo Apollinis edocti, stipitem, designa-
to loco inventum, cortice exuerint, eum-
que corticem, carnibus intritum, lupis escam
exposuerint, qua delibata lupi omnes pe-
rierint. Stipitem vero memoriæ causa, in

Apollinis, quem *Λύκαιον* dixere, templo statuerint. Lupi caput, in moneta nostra, aliisque signatum, hunc Apollinem indicat; quod quidem jam est ab aliis observatum.

Illud super hac narratione, *ὡς ἐν παρ-
ρόλω*, animadverto: cum vetustissimum fuerit apud Græcos Argivorum Regnum, ex hujus stipitis, in templo collocati, monumento videri, Idolorum originem apud Græcas quasdam gentes, atque apud Romanos quoque fortasse derivari posse.

Nam stipites, & informia ligna fuisse non Lycæi tantum Apollinis apud Argivos, sed aliorum quoque Deastrorum apud alias gentes antiquissima signa, testantur cum Ethnicorum scriptorum complures, ut *Virruvius lib. III. Plinius lib. XXXVI. Herodianus lib. IV. Athenæus lib. XIV. Pausanias* pluribus in locis: tum Christiani etiam auctores: ut *Tertullianus in apologet: Et tamen, quanto distinguitur à Crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine effigie rudi palo, & informi ligno prostat?* Apud *Lactantium* quoque *lib. I. Instir: cap. 20.* legitur: *Deus Terminus lapis, aut stipes.* Similia Idola, quæ informi ligno, aut tabula primum constarent, enumerat *Clemens Alex: in protreptico*, uti: *Dianæ Icarix, Junonis Cithæronex, & Samix.*

Hiscæ in stipitibus, tabulisve primum humanam faciem rudi manu ducebant, aut fingeant; qua ratione Termini, Hermae, Canopi simulacra confecta videntur. Deinde manus quoque addidere, non dum pedibus opus suum ausi committere artifices: quin & manus fulcris, ne collaberentur, muniverunt; ita Dianæ Ephesiæ, & Junonis Samiæ Idola exiisse credo. Denique, statuaria arte ad perfectionem deducta, simulacra effingebant, integram humani corporis figuram referentia.

Quid, si apud Romanos quoque Idolorum initia quædam ad hunc Argivorum decorticatum stipitem revocari posse suspicemur? Sane non de nihilo est, quod *Sextus Pompejus Festus* ab *Antonio Augustino* in compendium redactus, adnotavit: *Lignum decorticatum vocatur delubrum, seu stipes delibratus, quem colebant veteres.* Librum pro cortice, ac delibrare, seu delubrare, pro decorticare sumi, *Columella lib. V. Cap. II.* nos docet. Consentit hiscæ *Servius* in illud *Virgilii* lib. IV. *Æn. Delubra adeunt, Ligneum Delubrum dicimus, è libro, hoc est raso ligno factum, quod græce ἑόανον dicitur.* Cur vero delibratos stipites adirent, colerentque Romani veteres, nisi superstitionis originem, ut alia fere omnia, à Græcis haberent?

Numus Lyfimachienſium.
Caput velatum: videtur Genium Ur-
bis referre.

ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Lyfimachienſium.* Vi-
ctoria ſtans, d. extenſa ſertum geſtat. Æne-
us, mediæ formæ. Tab. II. Num. 13.

Lyſimachia Thraciæ urbs, in Cherſoneſo
ſita, quam Lyſimachus, Thraciæ Rex, ex ruinis
Cardiæ excitavit. De ea *Pauſanias in Atticis*
Cap. 9. Τὴν Καρδιανῶν πόλιν ἀνελῶν Λυσι-
μαχίαν αὐτῆς ᾤκισεν ἐπὶ ἰσθμῷ τῆς Θρα-
κίας. Comprobat id numus apud Goltzi-
um, in cujus una parte ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙ-
ΜΑΧΟΥ. Regis *Lyſimachi*: in altera ΛΥΣΙ-
ΜΑΧΕΩΝ. *Lyſimachienſium* legitur.

Urbem hanc, a Thracibus ſubinde ſuc-
cenſam, Antiochus Aſiæ Rex inſtauravit,
teſte *Livio lib. XXXIII. cap. 38.* Plinii tem-
pore jam deſerebatur hæc urbs, eamque
Hexamilium, pro Lyſimachia, dictam fuiſ-
ſe, *Ptolemæus lib. III.* meminit. Rurſum
tamen inſtauratam, ſuoque veteri etiam
nomine celebrem fuiſſe, imo etiam Plinii
tempore, aut mox ab ejus morte reſloruiſ-
ſe, teſtantur numi apud Goltzium, unus
Veſpaſiani, cum titulo ΝΕΩΚΟΡΩΝ. alter
Elagabali, cum epigraphe ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ.

Erat

Erat quidem altera quoque Lyfimachia in Ætolia, uti Stephanus in *Λυσιμάχεια*. *Ἔστι καὶ πόλις Ἀιτωλίας*. Ad hanc, minus etiam notam, numos hosce Vespasiani, & Elagabali pertinere non posse, ex eo probabile fit: quod suo jam tempore *Strabo lib. X.* hanc Lyfimachiam eversam fuisse prodiderit; neque constet eandem è ruinis rursus extitisse. Quare non video, cur Ptolemæus, qui Antonini Pii tempore vixit, Nomen Lyfimachiæ Thracicæ in Hexamilium immutatum scribat: nisi utrumque forte hæc urbs nomen retinuisset, veteri tamen in monetis suis usâ.

Numus noster magnam vetustatem præ se fert, videturque circa ipsius Lyfimachi tempora percussus esse, qui de celebrioribus Alexandri Magni Ducibus non postremus, ab ejus morte Thraciæ præfuit, cujus partem armis sibi subjecerat. Victoriæ typus in numo nostro eadem victricia Lyfimachi arma significare videtur. *Illustr. Spanhemius Tom. 1. Dissert: 8. Cap. 5.* hujus urbis numum adfert, cum simili velato capite, uti in nostro est, & Clava ex altera parte.

Nu-

Numi Tomitarum.

Tomitarum numi antiqui, qui Augustorum, Cæsarumve vultu signati sunt, fatis frequentes habentur. Aliorum vero paucissimi prolati sunt. Goltzius unicum exhibet, qui una ex parte caput Apollinis, ex altera Dioscuros ostendit. R. P. Harduinus alium è Cimelio S. Genovesæ commemorat, in quo TOMOC. KTICTHC. *Tomus Conditor.* Quæ sit utriusque faciei in numo figura, non adjungit: ejus tamen jam antea meminit Hæschelius in *not. ad Biblioth. Photii*, & ex hoc Holstenius ad *Stêphanum*. Quatuor hic ego Tomitarum numos in imagine sistam, quorum tres *Tomus Conditoris* caput ostentant, diversa partis posticæ figura: quartus Magistratus nomen exhibet, quod in nullo hæctenus Tomitarum numo animadverti. Numi ita habent.

I. TOMOC. *Tomus.* Caput imberbe, Diademate cinctum.

TOMEITON. *Tomitarum.* Leo stans. Vide Tab. II. Num. 14.

II. TOMOC. KTICTHC. *Tomus Conditor.* Caput, uti in priore.

TO-



XIV



XV



XVI



XVII



XIII



Tab II

Post paginam 44.





Tab II

Post paginam 44.







TOMEITΩN. *Tomitarum*. Hercules stans d. Clava fulcit, s. pellem leonis sustinet. Tab. II. Num. 15.

III. TOMOT. ΗΡΨΩΟC. *Tomi Herois*. Caput, uti in prioribus.

TOMEITΩN. *Tomitarum*. Figura stolata stans, d. quid gerat, non dignoscitur, s. hastam puram. Tab. II. Num. 16.

IV. Caput Mercurii, galero tectum, sine alis.

TOMI. ΘΕΟΦΙ. *Τομιτῶν, Θεοφίλα*. *Tomitarum sub Theophilo*. Caduceus. Numi omnes quatuor sunt ex ære, parvi moduli: hic postremus magnam, præ reliquis, vetustatem qua typi simplicitate, qua literis, & fabrica ipsa ostendit. Tab. II. Num. 17.

Tomus, Mœsiæ inferioris urbs, ad Pontum Euxinum, ab Ovidii exilio celebris, in numis, ab Antonino Pio, item in *Notitiis Ecclesiasticis*, & à *Sozomeno lib. IV. Cap. II. histor. Eccl.* Metropolis, Magna, & Felix compellatur. Ejus nomen aliter ab aliis scribitur. *Strabo lib. VII.* Eandem post Istrum describens, ita nominat. Ἔτα Τόμις, ἕτερον πολίχμιον ἐν Διακοσίοις πεντήκοντα σταδίοις. Deinde Tomis est alia urbecula, distans ducenta quinquaginta stadia. Aliud nomen,

men, & majorem ab Istro, seu Istria distantiam ponit *Arrianus in Periplo Euxini*: ab Istria nempe ἐς τομείας πόλιν στάδιοι τετρακόσιοι, usque ad urbem *Tomæas*, stadia tucenta. Aliter rursùm apud *Stephanum*: Τομεὺς πόλις πρὸς τῷ Ὀδησσῷ --- ὁ πολίτης Τομίτης. *Tomæus* urbs ad *Odessum*. Apud *Staium* filv: *Tomiorum* audit:

--- *Nec tristis in ipsis*

Naso Tomis.

Ab *Ovidio* fere *Τόμος Tomus* dicitur: gentile vero *Tomita* & hinc *Tomitanus*. Nomen, & originem nominis *lib. III. Trist. Eleg. 9.* idem concinit:

*Inde Tomos locus est dictus, quia fertur in illa
Membra Soror Fratris consecuisse sui.*

Eandem originem (ob dilaniatum illic à *Medea* *Apsyrtum* Fratrem, sparsaque ejus membra, quo spectaculi mœror insequentem Patrem *Æetam* remoraretur) refert *Stephanus*, & *Cicero in Orat: pro lege Manilia*: qui tamen id, non tamquam factum, certa fide dignum, sed ex pervulgata fama perhibet.

Sane *Numi*, qui *Tomum Conditorem*, eundemque *Herois* titulo insignem nobis ostentant, huic narrationi multum derogare videntur.

dentur, atque a Conditore *Tomus* nomen
potius sumpſiſſe urbem demonſtrant. Ipſe
quoque *Ovidius* urbis *Conditores Mileſios*,
quorum fortaſſe *Dux* fuerit *Tomus*, non
obſcure agnoſcit, dum ita ſuum *Tomita-*
nam in urbem adventum deſcribit, eandem
Milerida cognominans: *Lib. I. Trift. Eleg. 9.*

A quibus adveni Milerida Sospes in urbem,

Offenſi quo me compulſit ira Dei.

Verum *Mileſios* tamen ſerius eo veniſſe
cenſet, & loco ipſi prius nomen *Tomus*
fuiſſe ab *Apsyrtus*. *Lib. III. Trift. El. 9.*

Huc quoque Mileto miſſi venere coloni,

Inque Geſis Grajas conſtituere domos.

Sed vetus huic nomen, poſitaque antiquius urbe,

Conſtat ab Apsyrti cæde fuiſſe loco.

At enim mihi probabile non videtur,
Conditorem Tomum à loco, eoque incul-
to, in quo urbem conderet, nomen ſibi ſu-
mere: aut ita opportune cecidiſſe, ut no-
mine *Tomus* appellaretur is, qui in ejuſdem
nominis loco urbem tum extruxiſſet.

Aliam denique viam rimatus ſum, qua
& numos hoſce poſſem, & veterem illam,
de *Tomus* nomine, narrationem in tutum
deducere. *Suſpicio Tomum* hunc, quem
numi

numi referunt, non fuisse urbis Tomitanæ Condito-rem, sed celeberrimum in toto eo tractu, & vicina Thracia virum, atque præter cætera, ob cælibis, castæque vitæ laudem (tantum apud Barbaros ipsos hæc virtus valebat) inter Divos quoque, aut Heroas relatum. Quod ne citra fundamentum me quisquam proferre arbitretur; id unum præmoneo: Tomitas, Thraciæ proximis, eosdem fere cum græculis (quales & ipsi essent) Thracibus mores, dominosque habuisse; quando ipsa etiam quarundam Ponti urbium nomina, è veteri Thracum idiomate Strabo exponit, & inter Thraciæ urbes, à Pontico littore incipientes, Tomum recenset Plinius. De Thracibus porro hæc perhibet Strabo lib. VII. *Ἐἶναι δὲ τινὰς τῶν Θρακῶν, οἱ χωρὶς γύναικος ζῶσιν, ἐς ΚΤΙΣΤΑΣ καλεῖσθαι, ἀνιερώθει τε διὰ τιμὴν, καὶ μετὰ ἀδελείας ζῆν. Sunt quidam Thracum, qui sine uxore vivunt, quos Κίστας Conditores appellant: iidem honoris causa consecrantur, ac dum vivunt immunes sunt.*

In nostris numis idem Tomus jam Κτίσης jam Ἠρώς compellatur; Κτίσης ob continentiæ decus, Ἠρώς, quod consecrata esset ejus memoria, in alio numo TOMOC tantum, ob nominis celebritatem. Quod si hic Tomus Conditor urbis Tomorum fuisset;

fuiſſet; exiſtimo eundem in numis ſine *KIS* titulo (quem aliis in numis obtinet) in aliis vix conſignandum fuiſſe. De numis hæc accipio; nam apud ſcriptores aliter ſe res habet: ut apud *Thucydidem lib. V.* Braſidæ Laconum Duci, ὡς Ἡρώι, tanquam Heroi honores decretos: & ὡς Οἰκιστῆν, tanquam Conditori, Coloniam dedicatam fuiſſe, Eru- ditiffimus *Spanhemius*, aliaque ſimilia obſer- vavit. Diademate cinctum caput Tomus exhibet; ſive quod in vicinia Regionem a- liquam, aut ipſam Ponti partem cum pote- ſtate Regia obtineret: ſive quod *Conſecrato* id honoris tribuerent.

Quod me porro in hac conjectu- ra confirmat, eſt illud: *Ovidium* cer- te, (ut nihil de *Strabone*, ac *Stephano* di- cam) qui *Tomitarum* omnia excuſſit, non ignoraturum, neque ſilentio præteriturum fuiſſe, ſi de *Tomo*, urbis *Conditore*, fama aliqua, aut memoria conſignata exitiſſet. Noſtri vero numi, ſi fabricam ipſam, & characteres, ac faciem omnem conſide- rem; non videntur mihi ad altiorem vetu- ſtatem, quam ad ſæculi a *Nato* *Servatore* tertii initium circiter revocari poſſe. Qua- re *Tomum* hunc poſt *Ovidii* mortem vi- xiſſe, ac floruiſſe exiſtimo.

D

Con-

Controversiæ totius hæc est Synopsis: pro origine nominis *Tomi*, deducendi ab Apfyrtolaniato, pugnat famæ, ac traditionis vetustas: pro eodem nomine deducto a Tomo, urbis Conditore, numi soli, & haud ita antiqui: pro media quadam via ineunda, facit conjectura e Strabone, Tomum hunc non Conditorem urbis, sed virum continentia, & fortasse potestate quoque, & fortiter gestis (quæ Leonis, & Herculis effigie numi indicant) illustrem fuisse. Eruditus Lector arbiter esto.

Numus Marcianopolitarum.

MΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΣ. *Marcianopolis*. Caput turritum muliebri, Genium urbis munitæ referre solitum.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Marcianopolitarum*. Figura sedens d. pateram. Tab. III. Num. 18. Est ex ære parvi moduli.

Numum hunc neque Goltzius, neque Harduinus exhibuit. Eundem tamen *Cl. Haym*, in *Thesauro Britannico* protulit; sed in eo lapsus est (nam numus, ab eodem relatus, est omnino nostro simillimus) quod Caput illud turritum, vel flore aliquo ornatum, Marcianæ Augustæ, Trajani Sororis esse putarit. Errorem hunc, cum sit a-
li



licujus in re Numaria vetere momenti, hic mihi visum est, indicari oportere. Nihil tamen idcirco de præclaris Haymii meritis, atque eruditionis fama decerptum volo: fuit enim iste oculorum facilis lapsus, non venia modo, sed propemodum laude dignus. Nam cum numum illum nactus esset, in adversa parte aliquantum attritum, ut turres, floresve in capite non discerneret, atque ornatui capitis, quo solet in numis Marciana comparere, hac ratione formam haud multum dissimilem numus exhiberet; epigraphen præterea non integram legeret, sed tantum MAPK vel MAPKIAN. Sciret etiam vir eruditus, Marcianopolin, cujus urbis populus in altera numi parte adscribitur, esse a Marciana, Trajani sorore, in Mœsia conditam, & cognominatam, teste *Am: Marcellino lib. XXVII.* Sane probabiliter poterat lectionem capitis ita supplere; MAPKIANH. ΣΕΒ. *Marciana Augusta.* Quod si ornatum caput distincte vidisset; nullus dubito, quin memor ejus numi, qui ab Harduino relatus est, caput turritum exhibens, cum epigraphe CAPAIC. altera ex parte CAPΔΙΑΝΩΝ. quin, inquam, aliter de hoc numo explicando staret.

Numus Urbis Romæ,
Cum aliis, monogrammate insignibus.
Semis perelegans ita habet:

CAput Jovis laureatum, promissa barba, & capillo: ad occiput litera S. inverso situ insculpta est, cujus inferior tantum ductus comparet, ut similis τϕ C. videatur.

ROMA. Navis, supra quam litera S. qualis in adversa parte, qua nempe indicatur *Semis*. Ex parte monogramma, quale Tab. III. Num. 19. Numi effigies refert, quo iterum *Roma* manifeste signatur.

Occasione numi hujus duo sunt, quæ paucis illustranda suscepi: primo numos alios Cimelii nostri, in quibus præter monogramma adsignatum, nihil, quod non jam ab aliis esset expositum, deprehendi; deinde pondus hujus, & aliarum Romæ veteris monetarum, ex ære conflatarum. Monogramma, in quo eadem prope res, quæ in eadem numi facie integris literis scripta extat, adnotata legatur, dabimus inferius in numo Amisenorum, dedimusque in numo Macedonum quartæ Præfecturæ. Referrî huc potest, quod de Seleuciensium ad Calycadnum numismate, qualis in Cimelio etiam nostro habetur, jam occupavit R. P. Harduinus,

duinus; isthic pars aversa inscripta est: ΣΕΛΕΥ. ---- ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. ΑΘΗ. Seleuciensium ad Calicadnum, & Atheniensium. Victoriae typus. In adversa parte Palladis caput sese offert, cum epigraphe ΣΑ. quod iterum Σελευκέων. Ἀθηναίων. Seleuciensium, & Atheniensium, laudatus Auctor legendum censet. Jam ad alia monogrammata. Maronitarum numus argenteus solito typo Bacchi stantis, & solita epigraphe: ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. Bacchi Servatoris Maronitarum: monogramma adsignatum habet ex aversa parte, quale vide Tab. III. Num. 20. quod lego Δε Πατρός Divi, vel Dei Patrii, aut Διούσε Πατρός. Bacchi Patrii. Et in alio simili numo Tab. III. Num. 21. monogramma lego: Πατρός. Patrii: subaudiendo Dei. Bacchum vero Deum Patrium (repetito forte Διούσε nomine) Maronitæ Thraces, ob uberrimum in regione sua vini proventum, jure optimo compellant: cujus vini præstantiam Tibullus lib. IV. Paneg. Messala & Plinius hist. Nat. lib. XIV. sect. 6. Suis laudibus comprobant. Neque insolita est veteribus Græcis hæc tituli formula Dei Patrii; quando inscriptionem antiquam adfert Græverus pag. IX. Num. 6.

ΔΙΙ. ΠΑΤΡΙΩΙ. ΚΑΙ. ΑΡΤΙΜΠΑΣΑ.

Jovi, seu Deo Patrio, & Artimpase, id est:

Veneri caelesti. Item aliam pag. LXXXVI. N. 8. ΑΛΓΒΙΟΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧΗΒΟΛΩ. ΠΑΤΡΩΙC. ΘΕΟΙC. &c. Meminit *Pausanias lib. I. cap. 23.* Statuæ Bacchi apud Megarenfes, quem Διόνυσον Πατρώϊον cognominabant. Apollinem quoque monogrammate honorabant, signabantque urbes nonnullæ. De Cauloniatarum numo Goltziano cum ΑΠ. & lauri ramo, suo loco dictum est. Massiliensium numum argenteum tenemus, in cuius postica parte, symbolo non infucto, leo stans exhibetur, cum adjecto monogrammate, quod A & O, ac quodammodo Π complecti videtur, uti habetur Tab. III. Num. 22. legendum puto Ἀπόλλωνι Apollini. Convenit autem, id ad Leonis figuram ita signatum fuisse. Constat enim e *Pausania in Phoc:* Massilienses Leonis æneum simulacrum Delphos dono misisse, ob devictos navali prælio Carthaginenses, atque Leonem hunc proxime Apollini Delphico adstitutum fuisse.

Eundem Apollinem in argento suo signasse videntur Apolloniata, cui præter ordinarium horti symbolum hoc monogramma inseruerunt, quod præter A. & Π. Κ. referre videtur, & Tab. III, Num. 23. exhibetur; id lego: Ἀπόλλωνι Κώκη. Apollini *Cocæ* vel *Coccocæ*. Apollinis ΚΩΚ. inscripti,
nu-

numum Apolloniatarum, item Pausaniæ locum de *Diana Coccoca* R. P. Harduinus attulit; id nomen e *Suida*, *Celerem* significare posse, adnotavi alibi, ad numum Apolloniatarum, Caracallæ inscriptum, in quo Apollo stans, cum Fortuna: in *Auctario Appendic. ad Num. Græc. Vaillantii*. Quæ omnia probabilem reddunt, quam proposui, monogrammaticis hujus lectionem.

Aliud quoddam monogramma in Locrensi numo offendi; est is argenteus parvi moduli, & pugilem, uti alii plures, exhibet, cum monogrammate, quod OΠ & T. comprehendit, uti proponitur Tab. III. Num. 24. quod lego ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. *Opuntiorum*. Locri isti in Italia sunt, de quibus *Virgilius Æn. III. vers. 399.* canit:

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri.

Quem in locum ita *Servius*: Namque prius *Naryx*, *Opuns* postea dicta. Nomen Opuntiorum sumpsere ab Opuntiis in Locride, Græciæ regione, à quibus oriundos esse Italiæ Locros testatur *Thucydides lib. III. & Solinus cap. 8.* Et quanquam aliqui Opuntiorum numi epigraphen habeant ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. meam tamen monogrammaticis, in hoc numo, lectionem confirmat numus apud *Lazium in Græcia antiqua* exhibitus, in cujus eadem

dem parte legitur ΛΟΚΡ. ΟΠΟΥΝΤ. Gol-
tzius quoque numos adfert, qui inscriptio-
ni ΛΟΚΡΩΝ. monogramma ΟΠ adjunctum
habent, ita ut Ο. intra Π. collocatum sit:
id quod pariter ΛΟΚΡΩΝ. ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ.
Locrensiū, & Opuntiorum legendum arbitror.

Alterum jam, quod recepi, exequar, &
numi urbis Romæ, quem initio proposui,
aliorumque Romanorum munismatum, qui
Assis, aut partium Assis, seu unciarum si-
gna præ se ferunt, pondus expendam. Ne-
mo tamen Dissertationem hic sibi aliquam
de Ponderibus veterum polliceatur; intelli-
go quippe majoris id esse operæ, & alia-
rum virium, quam ego meas agnoscam.
Id unum propositum mihi est, ostendere:
Plinium lib. XXXIII. Sect. XIII. Si quidem,
uti videtur voluisse, omnes, & maxime pri-
mam, æneæ monetæ mutationes recensere
voluit, multum a vero aberrasse.

Numus itaque noster ROMA. inscrip-
tus, unam propemodum unciam appendit,
atque adeo, si *Plinio* credimus, cusus hic nu-
mus fuit eo tempore, quod inter bellum
primum Punicum, & Hannibalis irruptio-
nem in Italiam intercessit. Nam *Plinius* li-
bro citato: *Librale autem pondus æris imminu-
tum est Bello Punico primo, cum impensis Res pu-
bli-*

blica non sufficeret, constitutumque est, ut asses sextantario pondere ferirentur ---- Postea Hannibale urgente Marcum, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses unciales facti. Numus vero non Semis erat, ut nota S. indicat. Igitur As tum erat duarum unciarum, seu sextantario pondere. Quod si Festum sequi malimus, numus hic post coeptum bellum Punicum secundum percussus est; nam ita is habet in verbo sextantarii: Propter bellum Punicum secundum decreverunt Patres, ut asses, qui tum erant librarum, fierent sextantarii. Ego vero & Plinium & Festum in eo peccasse contendo, quod Assium pondus a librari ad sextantarium, id est, a duodecim unciis ad duas, sine media alia mutatione, imminutum esse perhibeant. Id ex vetustissimis Romanorum numis, Cimelii nostri, ad pondus antiquum monetæ Romanæ exactis, me conjecturum spero.

Extat in Thesauro Cæsareo Viennæ pulcherrimū illud vetustatis monumentum, pondus LEGIONIS, PRIMÆ, ITALICÆ, ita enim illic argenteis characteribus, æneo ponderi insertis, habetur; in cujus superiore plano visitur X. decem libras indicans; inferius: LEGIONI. ITALICÆ. PONDERA. EXAMINATA. SIG. Ejus descriptio integra, cum jam sit a Celeberrimo Masse-

jo post *Epistolas de Antiquitatibus Galliae* exhibitam, non repetitur. Pondus hoc mihi contemplandum, & contrectandum indulfit Perillus, atque Eruditissimus Bibliothecæ Aug. Præses Dñs. de Garelli. Idem Pondus hoc, & Asses Romanum maximum Cimelii sui ad usitata Viennæ Austriæ pondera examinavit, atque deprehendit: pondus illud Legionis Italicæ exacte decem libras vulgares, quibus in mercibus ponderandis isthic utimur, appendere: Asses vero illum libram Pharmacopolarum nostratium, quam ipsi libram Romanam vocant, exæquare. E quibus, cum alterum ab altero comprobetur, manifestum fit: habere nos etiamnum pondera, a Romanorum duplici libra, nihil diversa, quarum alteram veteres ad compensandas merces, alteram ad Monetariam Rem, saltem æream, examinandam adhibuerunt.

His ego documentis fretus, Asses, Semisses, Trientes, Quadrantes &c. ad Pharmacopolarum nostrorum libram expendi, atque deprehendi: mutationem ponderis non illico a libra ad sextantem (quod ipsum politicis e rationibus, vix credibile videtur, sine maxima perturbatione, fieri potuisse) sed per gradus, aut ad singulas uncias, aut ad duas certe, sub initium, & finem: ad
tres

tres quatuorve alias, factam fuisse. Illud vero nemo hic, ut opinor, a me exiget: ut pondera numorum istorum ab iis, quas signis suis indicant, libræ partibus nullis omnino minutiis aberrent. Nam vetustatem aliquid, & tempus edax immutasse, neque Romanos in æreis hisce monetis eo rigore, quo in argenteis, aureisque flandis processisse, satis certum est. Quare ita mihi procedendum duxi, ut proximo unciarum ponderi numum adscriberem, atque ut defectus, aut excessus dimidiam unciam non exæquaret.

Assem bene magnum tenemus, ex cuius una parte Jani bifrontis imago, cum solito signo Assis, ex altera Mercurii caput, & culter incurvus. Appendit hic As novem unciis paullo amplius, cum tamen foramine pertulus, & arrosus vetustate sit; merito unam circiter unciam, una cum excessu illo supra novem, eidem attribuo: atque adeo As tum decem unciarum erat. Comprobat id semis, qui una in facie Navim, in altera Caput Jovis refert, & literam S. Is numus omnino integer, quinque duntaxat uncias quam proxime exæquat.

Deinde quadrantem expendi, qui Caput Junonis Sospitæ & OOO una ex parte, ex alia bovem currentem cum serpente,

&

& epigraphen ROMA refert; is unciam unam, cum dimidia fere ponderabat. Cum igitur quadrans esset, seu tres uncias assis conficeret, quater sumptus sex uncias conficit; As ergo tum ad semissem, seu sex libras imminutus erat. Contestantur hoc ipsum duo sextantes, quorum alteri Lupa cum Romulo, & Remo, & avis, botrum rostro gerens: alteri Mercurii Caput, & Navis cum nomine ROMA, insculpta sunt, una cum signis in utraque numi facie OO. *duarum unciarum*. Numi ambo unciam proxime appendunt; igitur, sexies sumpti, Assem ad semissem, seu sex unciarum pondus redactum produunt.

Examinatus item est As, qui una in facie Janum, in altera Navim cum nota Assis, offert; pondus ejusdem paullo levius tribus unciis offendi. Eo igitur tempore ad tres uncias As redactus est. Cui suffragatur sextans, Capite Mercurii, & Navi signatus, cum epigrapha ROMA, & utrimque OO. Appendit hic numus fere semunciam; sexies igitur acceptus Assem trium unciarum explet.

Atque hæc, ex unico Granelliano Cimelio deprompta, fidem facere meæ sententiæ abunde possunt: Ponderis Assis im-
mi-

minutionem non illico e libra ad duas uncias, sed saltem primum ad decem, deinde ad sex, ad tres denique antea uncias, quam ad duas institutam esse. Quod si plurium antiquarum monetarum urbis Romæ examen instituere Eruditi voluerint; non dubito, quin alias quoque assis immutationes, & fortasse ad singulas uncias sint reperturi; quemadmodum jam e pluribus monetis, quas hic non adfero, constat: de tribus ad duas, de duabus ad unam unciam, & semunciam denique assem esse deminutum.

Porro autem si subtilis quispiam arguator neget, ex iis, quæ pro regula assumpsi, ponderibus satis argui, eadem esse Romanis ponderibus omnino consentanea; Plinii tamen, & Festi sententia: Assem de libra ad sextantem esse prima imminutione redactum, numerorum nostrorum ea, quam inter se habent, ponderis proportione, refelletur. E compensatione quippe nostrorum numerorum patet, ab Assè majori, quem attuli, decrementum ponderis deprehensum esse in ratione arithmetica 10. ad 6. & deinde 6. ad 3. qualescunque illæ partes sint. Ex Pliniana vero relatione habetur imminutio in ratione 12. ad 2. Cum igitur major utique sit differentia 12. - 2. *equal:* 10. quam 10. - 6. *equal:* 4. & 6. - 3. *equal:* 3. in aperto est, dimi-

nu-

nutionem ponderis, in numis nostris reper-
tam, mediam intercessisse inter eam, quæ
a Plinio tanquam uno saltu prima est assi-
gnata. Nisi vero hic se aliquis offerre au-
deat, qui pondus monetæ æræ, postquam
imminutum fuerat, rursus ad plures un-
cias Rei-Publicæ decreto accrevisse conten-
dat; quod, utrum, qui credat, sit aliquis
futurus tam facilis, nisi validissimis testimo-
niis comprobetur, vehementer ambigo.

Neque juvat cum Alciato legere in
textu Plinii: *dextantario loco sextantario pon-
dere.* Nam P. Harduinus manu scriptos co-
dices refragari deprehendit; & si ea cor-
rectio daretur, cætera tamen non cohære-
rent: a decem unciis illico ad duas assen-
sæ esse redactum.

PARS ALTERA.

Numi in Asia percussi.

Numus Nicomediensium.

EGregium hunc, aut simili cum epigra-
phe numum Nicomediensium, cujus
imaginem Tab. III. N. 25. fisto, ante
nos produxit R. P. Harduinus de Numis Po-
pul: & urb: e Cimelio Regio; sed nulla ty-
pi

pi mentione facta, in epigraphe quoque Epocham adjungere prætermisit, cujus tamen in Chronologia Vet: Testamenti meminit; de figura vero Romæ sedentis, & inscriptione ROMA omnino siluit, aut ista in attrito numo non dignovit. Hic igitur integram ejus descriptionem, qui apud nos elegantissimus, & integerrimus est, repræsentandam duxi.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Caput laureatum Jovis, promissa barba.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. ΔΚΣ. *Sub Cajo Papirio Carbone. Roma. Anno 224.* Romæ figura, galeato capite, sedens, d. Victoriolam porrigit, S. hasta pura fulcit. Æneus mediæ formæ.

Nicomedia Bithyniæ Metropolis, urbs splendidissima, atque ab aliis jam satis illustrata, mea hic opera non eget. Verum anni, in hoc numo signati, aliqua difficultate non carent. Laudatus R. P. *Harduinus in Chronolog: Vet: Test:* In Gaza Gallorum Regia numos esse, refert, unum sub Cajo Papirio Carbone Nicaensium, cum notis ΒΚΣ. id est anno 222. Alios similes Nicomediensium, Nicaensium & Bithyniensium, cum epocha ΔΚΣ. 224. Quæ urbes omnes tres Bithyniæ sunt, annosque æræ Græ-

corum, seu Seleucidarum hic esse consignatos, doctissimus P. Harduinus arbitratur.

Ego vero hic Bithyniæ Regum epocham meprehendisse, atque hoc ipso numo confirmare posse confido. Id ut præstem infirmam primam est R. P. Harduini sententia, deinde mea stabilienda. Si anni Æræ Græcorum in relatis urbium Bithyniæ numis signati essent, numi isti cusi essent alii anno V. C. 663. vel 664. alii 665. vel 666. Nam cum æra Græcorum incipiat ab autumno a. n. V. C. 442. igitur 442. † 222. *equal:* 664. quo a. n. Bithynicus in autumno finitus est, atque incepit ann. V. C. 663. in autumno. Ita 442. † 224. *equal:* 666. & ab autumno anni præcedentis 665.

Jam vero apud Chronologos, e certa veterum scriptorum combinatione, id in confesso est: ultimum Bithyniæ Regem Nicomedem IV. Epiphanem dictum, vitam finisse anno V. C. 679. & Rem-Publicam Romanam sui regni heredem scripsisse.

Isti igitur Bithynici numi, ad mentem P. Harduini, percussi essent aliquot annis ante Nicomedis postremi obitum. At enim vivente Rege (etsi is in Clientelam Romanorum sese dederit, & præfidiarium militem suscepit) a subjectis sibi urbibus signa-

gnatos esse numos, sola Romani Legati, qualem Papirium fuisse putat Harduinus, nulla vero ipsius Regis mentione facta, quis id sibi persuadeat? Accedit, nihil adferri auctoritatis, nec adferri fortasse posse, qua ostendatur: tum Cajum Papirium Carbonem in Bithyniam Legati nomine missum fuisse. Quod si quis autem neget, scriptoribus plerisque veteribus fidem habendam; ferat, si ipsi quoque non habeatur. Certe numorum, & scriptorum veterum consensus in dies pluribus exemplis firmabitur; dum, qui libero animo quærant, ne desint. Atque id ipsum nunc ago.

Ajo itaque, in hoc numo signatos annos referendos esse ad æram Regum Bithyniæ, quæ apud Doctissimum Spanhemium anno V. C. 466. initium sumpsisse, ex Syncello, & ex obitu ultimi Nicomedis comprobatur. Nam *Syncellus in Excerptis Eusebianis Scaligeri pag. 67.* Bithynorum Reges annis tredecim supra ducentos permanisse docet. Nicomedes postremus vero e vivis excessit anno V. C. 679. Si igitur 213. anni demantur a 679. habeatur initium æræ anno V. C. 466. cum qua æra omnes annorum notæ, in Bithyniæ Regum numis detectæ, egregie conveniunt: uti laudatus *Spanhemius ostendit Tom. 1. de præstantia, & usu Num. ant. Dissert. 8. S. 7.*

E

Jam

Jam vero, ut numum nostrum, aliosque similes, ab Eruditissimo Harduino exhibitos, ad hanc æram pertinentes annos exhibere credamus, id satis esset: urbes istas Nicomediam, Nicæam, Bithyniū, ad Bithyniam tum omnes pertinuisse, & Nicomediam quidem, ac Nicæam ejus Provinciæ metropoles fuisse. Bithynica igitur EPOCHa maxime congrua cum sit, quærendus est CAGIUS PAPIRUS CARBO, qui hisce temporibus in Bithynia, jam Romana Provincia, (uti ex calculo annorum 224. & 222. ad æram Bithynicam subducto, patet) negotii aliquid habuerit. Ecce vero luculentum *Dionis Cassii Testimonium Lib. XXXVI.* locum latine tantum, quia longior est: integrum tamen, quia politicam quoque doctrinam complectitur, adscribam: *Et M. quidem Cotta, cum quæstorem suum P. Oppium, quem donorum acceptorum, & insidiarum suspectum habebat, repudiasset, ipse autem magnam vini pecunie ex Bithynia corrasisset, a C. Carbone accusatus est; isque Carbo, etsi præter Tribunatum Plebis honorem alium nullum gesserat, ob id Consularibus honoribus exornatus est. Atque ipse deinde, cum Bithyniam Provinciam obtineret, & quam Cotta, moderatiorem se non gereret, ab ejus filio vice versa in judicium tractus, reusque peractus est. Longe enim proclivius est, alios reprehendere, quam sibi moderari &c.*

Huic

Huic narrationi mox ea Dio subijcit, quæ anno V. C. 688. gesta sunt: uti Leunclavius in margine adnotarat. Ad hæc tempora itaque si incidant anni, in numis nostris expressi, rectissime se omnia habebunt, & e numis ipsis anni, quibus Bithyniæ Cæjus Carbo, nomine Papirius præfuit, certius determinabuntur. Quare si ad æræ Bithynicæ initium anno V. C. 466. adjiciam annos numi nostri, 224. exhibit annus V. C. 690. Si Harduini similes numos adhibeam cum annis 222. habebitur annus V. C. 688. usque ad autumnum. Fuit igitur Cæjus Papirius Carbo Bithyniæ Præses aëno V. C. 688. & 690. & porro Bithynica æra præclare hoc exemplo constabitur.

Sardianorum Numus.

Caput nudū crispis crinibus, & crispa barba.

CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Sardianorum.* Figura muliebris, curto vestitu, caput pileo Asiatico tecta, collo & dextro poplite curvato: dextram pectori admovet, sinistra clavam humero imponit, & amiculum sustinet, pelli leonis non absimile. Tab. III. Num. 26. Æneus est, medii moduli.

Sardis, urbs Lydiæ vetustissima, & clarissima, non ipsius tantum Lydiæ, sed eti-

am, uti numus a Spanhemio relatus habet
 ΣΑΡΔΙΣ. ΑΣΙΑΣ. ΛΥΔΙΑΣ. ΕΛΛΑΔΟΣ.
 Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. *Asia, Lydia, Hella-*
dos Prima Metropolis. Caput virile, quod
 sane virum robustum ipsa sua forma pro-
 dit, Herculem referre arbitror; muliebri
 vero figura repræsentari Omphalen, quam
 deperiens Hercules, passus est, depositis ar-
 mis suis, fœmineis sese vestibus ornari, at-
 que labores sibi muliebres imperari; quod
 cum obvium, & ab omnibus Mythologis,
 ac plerisque Poëtis decantatum sit, non re-
 peto. Verum vice versa Omphalen ipsam
 Herculis arma induisse, haud ita obvium
 est, est tamen ad numum nostrum neces-
 sarium. *Donatus in illud Terentii in Eunu-*
cho. Act. V. Scena 8. Qui minus, quam Her-
cules servivit Omphale. Ita commentatus est:
Omphale Lydiæ Regina fuit, quæ Herculem sibi
servientem etiam ad lanificium compulit; cum ip-
sa calathum, & colum, cultusque fœmineos sa-
gittis, & clava, leonisque regmine mutasset.
 Quæ omnia ad numum nostrum exponen-
 dum claro sunt indicio, quippe in urbe Ly-
 diæ Principe, & veterum Regum sede per-
 cussum: A *Palephato* Omphale, non Regi-
 na Lydiæ quidem, sed *Ιασηλῶν Συγάτηρ*
Λυδῶν βασιλέως appellatur, id est: *Jarda-*
ni, Lydorum Regis Filia.

Con-

Confirmat egregie numi nostri expositionem similis alius apud Begerum, in quo tamen figura Omphales stans, cum epigrapha MAIONΩN. *Meoniorum*, & cum simillimo Herculis Capite. Mæoniam vero ipsam Lydiam dictam esse, vel e *Stephano* patet: *Μαιονία ἢ Λυδία ἀπὸ Μάιονος ποταμοῦ.* *Meonia*, *Lydia* dicitur, a *Meone* fluvio. Comprobat item ista numus apud *Goltzium*, qui una ex parte Caput nostro geminum, ex altera quidem parte *Herculem* stantem, sed epigraphen exhibet OMΦΑΛΙΤΩΝ. *Omphalitarum*. Quod nomen in *Omphales*, & *Herculis* memoriam urbi datum esse, vel ipse duplex *Herculis* typus probabile facit. Fuit autem *Ὀμφάλιον* seu ut *Diodorus Sic.* scribit *Ὀμφάλειον* urbs alia in *Creta*, alia in *Epiro*, aut juxta *Stephanum* in *Theffalia*.

Numus Cyzicenorum.

KYZIKHNΩN. *Cyzicenorum*. Fax sola.

Bos Cornupeta. *Æneus* est, mediæ formæ. Tab. III. Num. 27.

CErerem, ac *Proserpinam* frequentissime in numis suis consignaverunt *Cyziceni*. Hic simplici symbolo fax inquisitam a *Cerere* *Proserpinam* notat. Bovis autem

figura indicat sacrificium vaccæ nigrae, quo placabatur Proserpina; qua de re Poëtarum veterum testimonia adduxi in *Appendicula ad Numos Colon: a Vaillantio editos ad numum Antiochenum Juliae Severi*. P. Harduinus quoque *Appianum in Mithridat: & Plutarchum in Lucullo* de nigra bove, a Cyzicenis quot annis Proserpinæ mactari solita, mentionem fecisse, perhibet. *Cyzicum*, illustrem Propontidos urbem fuisse, vix opus est monere.

Erythræorum Numus.

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΑΗΤΟC. *Sanctus Senatus, vel Sanctum Concilium*. Protome mulieris, crinibus crispatis.


ΕΠ. C. Π. Α. ΑΤΤΑΛΟΥ. Τ. Β. ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ. Ἐπὶ Στρατηγῆ Περσέως Ἀιγίης Ἀττάλας τὸ 6^{ον} Ἐρυθραίων. *Sub Prætoze urbis Publico Ælio Attalo, Iterum, Erythræorum*. Templum tetrastylon, in quo Idolum Fortunæ, capite tutulato d. temonem, s. Cornu Copiæ gerens. Æneus mediî moduli Tab. IV. Num. 28.

Urbes, Erythra appellatæ, quinque à Stephano recensentur, Europææ duæ, in Locride una, altera in Bœotia: alia Lybia, rursum alia Cypri, quæ Paphus dicta est.

de



XX



XXI



Posterior




XXII




XXIII



XXIV



XXVII



Tab III

post paginam ro.





XX
ΔΙ Μ



XXI
III A



XXII
A
XXIII
AK



XXIV
H H



Tab III.

post paginam.



3
1
A
P
V
P
ri
fi
M
P
S
C
E
gi
H
ni
nu
fa
or
XI
H
To
lis
Er
co
nat





denique Ἐρυθρα πόλις Ἴώνων -- ὁ πολίτης
 Ἐρυθραῖος Erythra urbs Jonum -- incola
 Erythraeus dicitur. Ad hanc Joniæ Erythram
 præ Europæa utraque (nam de aliis duabus
 vix esse suspicio potest) numum nostrum
 pertinere, & Magistratus Σερατηγῆ Πραι-
 ορις Urbici, manifestat, quem in monetis
 suis Græcorum Europæorum urbes expref-
 sisse, non sunt observatæ: & ipsum quoque
 Magistratus nomen proprium. Nam R.
 P. *Harduinus Num. Popul. & Urb. Alexandri*
Severi numum refert, cum epigraphe ΕΠ.
CT. Π. ΑΙ. ΑΤΤΑΛΟΥ. ΤΟ. Β. ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ.
 Ex quo in aperto est: ejusdem anni, & Re-
 gionis esse numum nostrum. Hunc vero
Harduini, ex eo quoque probabile fit, ad Jo-
 niæ Erythram esse potius, quam ad aliam,
 numum referendum; quod in eo Hercules
 stans exhibeatur. Porro Herculis templo
 ornatam fuisse hanc Erythram *Plinius lib.*
XI. cap. 31. testatur, & Elagabali numus,
 Herculis templo insignis, apud *Tristanum*
Tom. II. confirmat. *Strabo* quoque Hercu-
 lis Ἰπποκρόνους, quod ipse exterminasset, apud
 Erythraeos Jonios cultum floruisse *lib. XIII.*
 commemorat. De Epigraphe: *Sanctus Se-*
natus, numo sequente agetur.

E 4

Tral-

Trallianorum Numus.

ΙΕΡΑ. ΚΥΝΚΑΗΤΟC. *Sanctus Senatus*, vel *Sanctum Concilium*, Protome mulieris, Capite velato.

ΕΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΕΥΝΟΟC. Ἐπὶ Γραμματέως Μάρκου Ἀυγηλίου Ἐυνοοῦ. *Sub scriba Marco Aurelio Euno*. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Trallianorum*. Phœbus, capite radiato, currui quadrigis juncto insistent, dextram protendit: sinistra flagellum, & lora attinet. Æneus maximi moduli. Tab. IV. Num. 29.

Trallis, vel Tralles notissima Lydiæ, aut vicinæ Cariæ urbs, in ære suo Γραμματέως Magistratum exhibere solet; hæc tamen nomina viri hujus omnia neque in Numis, neque in libris me vidisse memini: atque adeo de numi hujus ætate nihil habeo, quod adferam.

Videntur Tralliani hac epigraphe ΙΕΡΑ. ΚΥΝΚΑΗΤΟC. *Sanctus Senatus*, Romanum potius, quam suæ urbis Senatam honorasse; quoniam numi characteres, & ipsa, quantum conjici potest, ætas, indicant eundem tum percussum esse, cum jam subjecti essent Tralliani Romanis. Confirmare id videtur numus à R. P. Harduino prolatus, in

in cujus una facie IEPOC. ΔΗΜΟC. *Sanctus Populus*. In altera ΤΥΧΗ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fortuna Trallianorum*. Ut adeo hisce numis *Senatum Populumque Romanum Sancti Titulo*, ac talibus symbolis honorasse videantur: quibus professi sint, ab *Romano Senatu* tanquam à *Sole* totum orbem, & Orientem in primis collustrari; tum *Fortunam*, quoque *Trallianorum esse Populi Romani Fortune* illigatam. Non ignoro tamen, in ære veteri epigraphen ΔΗΜΟC. & IEPOC. ΔΗΜΟC. Item ΒΟΥΛΗ & ΙΕΡΑ ΒΟΥΛΗ. Ad Græcarum etiam urbium *Populum*, *Curiamque* signandam adhibitam fuisse. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟC. tamen, cum quasi proprie *Sacrum Romanorum Senatum* in numis designet; etiam alteram inscriptionem IEPOC. ΔΗΜΟC. ejusdem urbis, & fortasse temporis, eodem referendam putavi.

Attudeorum Numus.

Cum superiore numo de epigraphe ΔΗΜΟC. *Populus*, & ΒΟΥΛΗ *Senatus*, vel *Curia*, vel *Concilium*, aliqua mentio illata sit, Exemplum hic aliquod subijcere libuit.

ΑΤΤΟΥΔΑΕΩΝ. ΒΟΥΛΗ. *Attudeorum Curia*, seu *Senatus*. Caput videtur laureatum esse

esse, & Maximinum Imperatorem referre.
Iconismum vide Tab. IV. Num. 30.

Urbis hujus, de qua Geographi antiquiores silent, notitiam aliquam Eruditissimus Pater Harduinus nobis attulit, è *Notitia Ecclesiast. ant.* Ubi inter sedes Episcopales Phrygiæ Pacatianæ Ἀττιδοῦς legitur. Et apud *Leunclavium pag. 98. ὁ Ἀττιδίων.* Demum in *Concil. Calched. Συμμάχος πόλεως Ἀττιδίων.* *Symmachus urbis Attudorum Episcopus.*

Numi hujus urbis, præsertim qui sine Augusti vultu percussi sint, rarissimi extant: Goltzius nullum ejusmodi, unicum laudatus Harduinus è Cimelio Regio proposuit, in quo inscriptum habetur ΔΗΜΟΣ *Populus.* Qua epigraphæ, uti & nostra ΒΟΥΛΗ. Ipsi Attudeorum urbis *Senatum, populumque* indicari arbitror; cum nihil hic suadeat, cur Romano Senatui, Populoque potius adscribatur.

Erudito lectori haud ingratum accidet, duas hic antiquas inscriptiones contemplari, quarum, cum aliis pluribus, exemplum, ab Anglis acceptum, Ephesi easdem describentibus, Eruditissimus *Dominus de la Condamine, cuidam è Soc. Jesu, ille mihi indulfit.* Fit etiam in his mentio *Senatus & Populi Ephesiorum, hoc eodem vocabulo*
ΒΟΥΛΗ.

ΒΟΥΛΗ. & ΔΗΜΟΣ. Fideliter apices omnes ac lacunas exhibebo, ac deinde supplebo, quæ potero, atque latine reddam.

Supra lapidem positum, ad latus quadragesimi primi arcus aquæductus.

ΑΥΤΟΚΡΑ	τορος	ΚΑΙΣ	}
α	ΡΟΣ	ΘΕΟΥ	ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΠΑΡ	ΘΙΚΟΥ	ΤΙΟΥ	ΟΙΟΥ
υ	ΝΟΥ	ΤΡΑΙΑΝΟΥ	ΑΔΡΙΑΝΟΥ
	ΣΕΒΑΣΤΟΥ		
	ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ		
ΕΦΕΣΙΩΝ	ΒΟΥΛΗ	ΚΑΙ	ΟΝΕΩ
ΚΟΡΟΣ	ΔΗΜΟΣ	ΚΑΘΙΕΡΩ	ΣΑΝ
ΕΠΙΑΝΘΥ	ΠΑΤΟΥ	ΠΕΔΟΥ	ΚΑ
ΟΥ	ΠΡΕΙΣΚΕΙΝΟΥ	ΨΗΦΙΣ	
ΜΕΝΟΥ	ΤΙΒ	ΚΑΙ	ΤΑΛΙΚΟΥ
ΤΟΥ	ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ	ΤΟΥ	ΔΗΜΟΥ
ΕΡ	ΕΠΙΣΤΑΤΗΣ	ΑΝΤΟΣ	
ΤΙΒ	ΚΑΠΕΙΣΩ	ΝΕΙΝΟΥ.	

υιου Θεου
 lego N.
 pro T. in
 fine.
 Peto Ca-
 rus sub
 Trajano
 Cos.
 κλ. lego
 pro κα.
 εφ. lego
 pro εφ.

Sic interpretor: *Imperatoris Caesaris Divi Trajani Parthici filium, Divi Nervæ Nepotem, Trajanum Hadrianum Augustum, colentes*
 Au-

Augusto addictus Ephesiorum Senatus, & Neocorus Populus consecrarunt, sub Pro-Consule Pedone Caro, Priscini filio, suffragium ferente Tiberio Claudio Italico, scriba Populi Ephesiorum, Præside Tiberio Claudio Pisonino. Sequitur altera inscriptio:

Inscripção arcus quadragesimi secundi.

ΗΒΟΥΛΗΚΑΙΟΔΗΜ - - suppleo ΔΗΜΟΣ
 ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ
 ΑΝΤΟΝΙΑΝΙΟΥΤΙ - - -ΙΟΥΛΙΑΝ-
 ΗΝΤΗΝΙΕΡΕΙΑ - - -ΙΕΡΕΙΑΝ
 ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣΘ - - -ΘΥ
 ΓΑΤΕΡΑΜΑΝΤΩΝΙΟ - - ΑΝΤΩΝΙΟΥ
 ΒΑΡΟΥΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΥ
 ΚΑΙΦΛΑΒΙΑΣ ΤΕΡΤΥΛΛ - - ΤΕΡΤΥΛΛΗΣ
 ΤΗΝΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑ
 ΣΤΑΣΑΝΤΩΝΟΣΠΟ - - ΠΟΛΛ vel
 ΠΟΥΒ. forte
 ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΥΤΟ - ΤΟ. Α. vel Β. forte
 ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ vel ΤΟΥ
 ΚΑΙΑΙΛΙΟΥ ΚΑΙΟ - - ΚΑΙΟΝΙΟΥ forte
 ΠΙΟΥΤΟΥΓΡΑΜΜΑ
 ΤΕΩΣ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ

Manca omnia certo supplere non sum ausus: quæ possum, ita interpretor: Senatus; Populusque honoravit Antoniam Julianam Sacerdotem Dianæ, filiam Marci Antonii Vari, Au-

*Augusto addicti, & Flaviæ Tertullæ, Honoris er-
go excitari hoc monumentum curantibus - - Me-
trodoro primum, vel primo Prytane, & Ælio
Cæonio Pio, scriba Populi.*

In his inscriptionibus, præter *Senatum,*
& *Curiam*, cujus gratia hic allatæ sunt, men-
tio fit Γραμματέως τῆ Δήμῃς. *Scriba Populi*
Nam Senatui quoque suum Γραμματέα fu-
isse, in erudita sua De Γραμματέωσι Dissertatione, ex Oxoniensi marmore ostendit
Doctissimus Dom. Christianus Schwartzius pag.
14. Est aliud quoque marmor inter nostra
Ephesina, in quo verbum nullum integrum,
præter hæc ultima, legere est: ΣΤΕΦΑΝΘΕΙΣ
ΥΠΙΟΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΧΡΥ-
ΣΕΩΣ ΣΤΕΦΑΝΩ. *Coronatus a Senatu, & a Po-
pulo corona aurea.* Rursum alia arcui aquæ
ductus trigesimo sexto vicina, in qua habe-
tur inter cætera.

- - - ΗΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΕΦΕΣΙΩΝ ΒΟΥΛΗΚΑΙΟΝΕΩ
ΚΟΡΟΣΔΙΣΔΗΜΟΣΚΑΘΙΕΡΩ
ΣΑΝ &c.

*Augusto devotus Ephesiorum Senatus, & Po-
pulus bis Neocorus consecrarunt.*

Numus Tiberiopolitarum.

Aliud adhuc exemplum consignati Asia-
tici Senatus, & Populi sufficiunt numi
Ti.

Tiberiopoſeos, urbis in Phrygia Pacatiana, quæ unico vocabulo Τιβεριόπολις a Ptolemæo lib. V. & a Notitia Eccleſ. antiqua exprimitur; duobus vero a Socrate lib. VII. hiſt. Eccleſ: cap. 26. Ἐν Τιβεριί πόλει τῆς Φρυγίας. Numum hujus urbis unicum, ſine Auguſti vultu, refert R. P. Harduinus, in cujus adverſa parte Caput Senile barbatum, laureatum, cum epigraphe ΔΗΜΟC. *Populus*. In averſa ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. Genius urbis ſtans, d. temonem, s. Cornu Copiæ tenens. Noſter numus ita habet:

ΒΟΥΛΗ. *Curia, vel Senatus*. Caput velatum muliebris formæ.

ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tiberiopolitarum*. Jupiter togatus ſtans, d. aquilam ſuſtinet. Eſt figura Jovis Φιλαληθῆς. *Veritatis amantis*. Æneus parvi moduli, elegans. Vide Tab. IV. Num. 31.

Amifenorum Numus.

ΑΜΙΣΟΥ. Ἀμιση. *Amiſi*. Victoria graduens d. palmam. Ex utraque parte monogramma, quod vide Tab. V. Num. 32.

Caput Medusæ, ſquammato ornatu cinctum videtur ſcutum Palladis referre. Æneus, parvi moduli.

Hu-



Tab IV

post paginam 78.



Tab IV

post paginam 78.





I
al
ne
fe
M
an
ef
in
re

In
xi
cu

A
N
til
ter
m
lib
co
tri
pia

fup
an
26





HUjus numi typus est jam a Goltzio propositus; sed monogrammata hic alia sunt, quam in Goltzianis numis. Monogramma alterum literas A. M. E. T. manifesto complectitur, quod lego Ἀμισινοῶν, Μιλησίων, ἔτης. *Amisenorum, & Milesiorum,* anno: Alterum literis Σ. & Ο. constat, quas esse numericas notas censeo, atque adeo indicare annum 270. Lektionis primum reddenda ratio, deinde epocha.

Numos rectissime e numis exponimus. In laudato sæpius *R. P. Harduini* libro Maximini numisma e Cimelio Regio adfertur, cujus postica facies ita inscripta habetur.

AMICOY. ΕΛΕΥΘΕΡΑC ET. CΕΗ.
AMICHΝΩΝ. ΜΙΑΗCΙΩΝ. En tibi, idem Nomen urbis Ἀμισί eadem vocabula gentilia, *Amisenorum, & Milesiorum*: easdem literas ET. ad annum indicandum, uti in numo nostro lectum est. Porro etiam *Sirabo lib. XII.* Amisum Milesiorum Coloniam compellat: etsi Atheniensibus id quoque tribuat *Arrianus in Periplo Ponti Eux:* & *Aprianus in Mithridat*:

Numeri, in *P. Harduini* numo signati, supputantur ad æram Amisi, quæ cœpit anno V. C. 721. nam si addas CΕΗ. æqual: 268. exibat annus V. C. 989. Maximini se-

cun-

cundus. In nostro vero Numo habetur 270. atque adeo 270. ✱ 721. referret annum V. C. 991. Gordiani Pii primum; nisi aliud obstaret. Nam numus noster qua characteribus, qua forma sua omni, & fabrica multo antiquiorem se esse monet.

Alia igitur quercus mihi excutienda est, aliudque vetustioris epochæ quarendum est initium, idque ejusmodi, ut adjectus in numo nostro annorum numerus 270. præcedat annum V. C. 721. quo nova & altera Epochæ initium sumpsit; quod eo tempore se Amisus abdicato Stratone Tyranno in pristinam libertatem asseruerit.

Vetustiore hanc aram non pro lubitu meo confingo, sed a Doctissimo Morello constitutam, Ponti Regum aram assumo, deductam a Mithradate Primo, qui Κτιστής Conditor dictus est. Initium sumitur ab anno urbis conditæ 448. quibus adjungendo 270. habetur ann. C. V. 718. anterior illo 721. quo nova ara cœpit. |

Quid vero magis congruum, quam celeberrimam Ponti Asiatici urbem, ejusdem Ponti Regum aram usurpasse? Quanquam enim Amisus, sub Persis quoque, jam inde ab sui primordio libera esset; tamen, teste *Appiano in Mithrid.* Ponticis Regibus servire coacta

coacta est, & eorundem quoque Sedes Regia erat; uti auctor est *Cicero orat: pro lege Manilia*: Lucillum cepisse *Sinopen*, atque *Amisum*, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata, atque referta. Rursum quidem ab ipso Lucullo primum, ut confirmat *Appianus*, deinde a Julio Cæsare libertas data est: ab Antonio tamen de integro ablata, ab Augusto denique restituta. Quas variantis fortunæ vices *Strabo lib. XII.* exequitur.

Annus in nostro numo signatus incidit in tempora M. Antonii, cum compositis Ponti rebus in Medos moveret. Verum siue tam libera adhuc *Amisus* permanferit, siue *Regulo* alicui, aut *Stratoni Tyranno* subdita fuerit; nihil vetat, quin prisca Regum æra usos dicamus *Amisenos*; quando constat, sub Romanis quoque, in numis suis, urbes quasdam veterem supplicandi temporis rationem diu retinuisse.

Numus Eumenis Regis.

Quamquam hujus numi, sane mirabilis, & singularis locum, in quo percussus sit, assignare certum non possim; adferendum tamen putavi, atque proponendam saltem conjecturam meam, ut si quidem

F

me-

mereatur, eam probent Eruditi: sin autem meliorem ipsi expositionem inveniunt. Typum vide Tab. V. Num. 33.

BA. intra literam Σ. ut sit ΒΑΣ. ΕΥ. superius ΝΟ. inferius ΚΔ. lego hæc: Βασιλέως Ἐυμενῆς Regis Eumenis. ΚΔ. numericas notas arbitror, & indicare annum 24. Regni Eumenis. Literas ΝΟ aut ad nomen Eumenis pertinere arbitror, ut ita E. vel cum A. vel cum Y. simul literam Μ. consignet: aut si ingenio indulgere voluero, legam: Ναὸν Ὀκίσας ΒΑΣΙΛΕΥΣ ἘΥΜΕΝΗΣ ἔτει ΚΔ. *Æde excitata* (nempe Jovi Capitolino) *Rex Eumenes anno vigesimo quarto* hoc numisma figmandum curavit: quæ lectio cum parte averla egregie conveniret, in qua ita habetur.

ΚΑΠΕ. quod interpretor Καπετώλιον, aut Καπετώλιος Ζεὺς Capitolium, aut Jupiter Capitolinus. Templum tetrastylon. Æneus, medii moduli.

Illas certe literas ΒΑΣ. ΕΥ. una cum ΚΔ. annorum haud dubie notis, quid demum aliud significare credamus, quam Βασιλέα Regem aliquem, cujus nomen ab ΕΥ. incipiat, & cujus regni tempus annos quatuor, & viginti saltem impleverit: quique Capitolii excitandi, aut colendi Capitolini

ni Jovis, Romæ Tutoris, singulares causas habuerit; ego sane non video. Hæc vero omnia invenio in Eumene, Rege Pergameno.

Fuit hic Eumenes Attali Filius, qui Attalus *Φιλορωμαῖος* dictus, & primus Pergami Rex appellatus est: de quo *Strabo lib. XIII.* *Ῥωμαίοις κατέστη φίλος, καὶ συνεπολέμησε πρὸς Φίλιππον.* *Romanorum amicus erat, & in bello adversus Philipppum Socius.* Eumenes ipse Filiorum Attali natu maximus (Fratres enim habebat tres Attalum, Philadelphum dictum, Philetarum, & Athenæum, Strabone teste) & Regni heres, Romanorum amicitiam majoribus adhuc meritis sibi devinxit, fratrum suorum opera strenue adjutus; ac denique Filius Eumenis, Attalus & ipse, Philometor cognomine, Regnum omne mortens hereditario jure in Populum Romanum transtulit.

Eumenes noster sane præclare de Romanis meritus est, quos adversus Perseum, Antiochum, & Mithradatem bellantes constanter adjuvit: uti legere est apud *Appianum in bell: syr: & Mithridat:* ac fuse apud *Livium Decade IV. lib. 6. & 7.* Polybius quidem, & Paterculus suspectam ejus in Romanos fidem, aut certe ipsum hæsitantem

faciunt. Verum satis purgavit Eumenem ab hac suspitione, & Luculli sensus, qui eundem Archelao Mithradatis Duci, in exemplum fidei, quam ipse Romanus Dux præmiis sit remuneratus, proposuit, teste Appiano in *Mithrid.* & amplissima illa sententia Romani sententia, qua eidem Asia cis Taurum omnis, Antiocho adempta, magnas inter laudes dono data est: quod apud *Livium* & *Strabonem* locis citatis adnotatum legimus.

Eumenes hic, ut Strabo refert: βασιλεύσας ἔτη τεσσαράκοντα καὶ ἑννέα, ἀπέλιπε τῷ υἱῷ τὴν ἀρχὴν Ἀττάλω. Cum regnasset annos quadraginta novem, filio suo Attalo regnum reliquit. Et quanquam magnus Petavius pro ἑννέα legendum censeat ἐν unum & quadraginta; abunde tamen annorum est pro numo nostro.

Urbes duas splendide condidisse, aut instaurasse, ornasseque legitur Eumenes; Eumeniam in Phrygia, de qua *Eutropius lib. IV. cap. 2.* agens de pugna cum Antiocho: *Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali Regis Frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit.* Et latinus textus *Chronici Eusebii* prope iisdem verbis. Nomen vero Eumeniæ urbi huic imposuisse Attalum, in honorem Eume-

Eumenis nostri, dicti etiam Philadelphi,
Stephanus perhibet.

Urbs altera Pergamus erat, quam Eumenes aedificiis & bibliotheca in primis ornavit, *Strabone lib. XIII. & Plinio lib. XXXV. testibus.* Equidem templum Jovi Capitolino erexisse Eumenem, nusquam inveno; omnino tamen credibile est, publicis etiam monumentis, suum in Romanos, atque eorum Tutatorem Jovem Capitolinum, gratum, ac devotum animum testatum fecisse; quippe qui, quantum Regum alius nemo, Romanae Rei-Publicae deberet. Quod si excitato Jovis Capitolini templo (quale habuisse Colonias, aliasque urbes, ex *Aulo Gellio, lib. XVI. Cap. 13. Livio &c.* atque ipsis e numis constat) Eumenes Romanos non coluit; ejusdem Dei saltem in mone-tis suis memoriam, & venerationis symbolum aliquod exprimendum curasse, dubitare vix licet.

Quare cum omnia, in numo nostro expressa, cum Rege hoc Eumene plane conveniant, ad alium vero Regem ita applicari, quantum quidem ego video, non possunt; conjecturae huic meae aliquem peritorum assensum polliceri ausim. Eidem si adicere aliam licet, de loco, in quo signatus sit hic numus; haud multum a vero me

aberraturum puto, ubi Pergamum, Regiam Eumenis sedem, ejusque Regni urbem Principem nominavero. Confirmant me Pergamenorum Numi, Augusti unus, e Cimmelio Domini Foucault, dein Parmensi illatus, in quo legitur ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. ΠΙΕΡΓ. ΑΜΗΝΟΙ. *Deam Romam colunt Pargameni.* Et alii, templum Jovis exhibentes, quos *Vaillantius, & Harduinus* recensent.

Elæusiorum Numus.

Regem Pergami Eumenem, Rex alter, e numi Elæusiorum signis quibusdam eruendus, excipiat Archelaus. Habet hic numus duo singularia, primum, quod Elæusiam urbem nobis in memoriam revocet, cujus nullæ, cum nomine Elæusæ, hætenus apud Numariæ Rei scriptores, quod sciam, productæ sunt monetæ: alterum, quod Archelai, celeberrimi Cappadociæ Regis vultum nobis exhibeat, cujus numum nullum alibi adductum me vidisse memini. Archelai Junioris, Philopatoris dicti, qui Filius erat Archelai nostri, numum unicum e *Baudelotio Utilité des Voyages, Tom. II. pag. 605.* repræsentat Spanhemius, capite imberbi una ex parte, ex altera clava insignem; idemque Archelai prisce Macedonum Regis numos, quos produxerat *Goltzius,*

zsius, commemorat; verum de Archelao Seniore Cappadocia Rege, numum nuspiam reperit, quem exhiberet. En nostrum.

Caput barbatum, & diademate cinctum. ad occiput litera A. orbiculo inclusa, qua indicatur. Ἀρχέλαος. *Archelaus.*

ΕΛΑΙΟΤΣΙΩΝ. ΣΕΒ. Ἐλαιωσίων Σεβαστηνῶν. *Elæusiorum Sebastenorum*, Victoria, capite galeato, gradiens, d. extensa fertum attinet, s. vestem adducit. Litera Σ. E. & Β. etsi ordine alio, quam quo antea scripseram, numo insculptæ sint, sic tamen collocatas, lectasque oportuit; fuit autem E. infra Β. positum, quia Τῶ Ε. alia litera, quæ attrita est, a tergo fuit adnexa, quæ, quantum dignoscere licet, erat A. ut ita ΣΕΒΑ. signatum credam. Vide Tab. V. Num. 34. Est ex ære mediocris moduli, ad parvum declinantis.

De loco primum dicam deinde de Rege una, & urbe ab ipso condita. Elæusa insula, & urbs erat ad littus Ciliciæ Asperæ: Orthographiam nominis certam, hic denique numus nos docet. Nam a Strabone, & Stephano duplici Σ. Ἐλαιῦσσα, scribitur: ab *Oppiano* vero lib. III. *Halicur*: atque a Flavio Josepho, aut horum potius exscriptoribus sine diphthongo Ἐλεῦσσα, itemque

a Plinio *Elëusa* exprimitur; in numo vero
Ἐλαιῦσα.

Insulæ hujus, & urbis situm *Plinius lib. V. cap. 31.* indicat: *Idalium abest ab Anemurio Ciliciæ quinquaginta M. passuum. mare, quod præterditur, vocant Aulona Cilicium. In eositu Elëusa Insula est.* Urbs ejusdem nominis condita illic est ab Archelao, Cappadociæ Rege *Strabone* teste *lib. XII.* cujus ibidem *Regia* sedes fuit: *Καὶ τὰ ἐν τραχίᾳ Κιλικίᾳ, ἐν ἣ τὴν Ἐλαιῦσσαν νῆσον ἔυκαρπον συνέκτισεν Ἀρχέλαος ἀξιολόγως, καὶ τὸ πλεόν ἐνταῦθα διέτριβεν.* Quæque in *Cilicia Aspera* sunt, in qua *Elæussam Insulam* fertilem urbe extructa frequentavit, atque eam ut plurimum incoluit. *Similia lib. XIV.* habet. Præter hanc *Archelai*, *Elæusam* inhabitandi, consuetudinem, alterum quoque hujus urbis nomen *Josephus lib. XVI. Antiq. cap. 4.* exponit: *Ἡρώδης δὲ πλέων σὺν τοῖς παισὶν, ὡς ἐγένετο κατὰ Κιλικίαν ἐν Ἐλεῦσῃ, τῇ μετωνομασμένη νῦν Σεβαστῇ, καταλαμβάνει τὸν βασιλέα τῆς Καππαδοκίας Ἀρχέλαον.* *Herodes* autem cum *Filiis* suis navigans, ubi ad *Ciliciam* in *Elëusam* pervenit, quæ nunc *Sebaste* appellatur, convenit illic *Archelaum*, *Cappadociæ Regem.* Utriusque nominis *Elæusæ*, & *Sebastes* meminit etiam *Stephanus*, & gentile nomen *Ἐλαιῦσσιος* format, quale, dempto uno s, in numo nostro

stro signatum est. *Ptolemæus lib. V. cap. 8.*
 solum nomen Sebastes adfert, atque cum
 vicina Coryco uti & Stephanus, nominat:
 Τῆς ἰδίας Κιλικίας, Κώρυκος Σεβαστή. *Ciliciæ*
Propriæ, Corycus, Sebaste.

Numi quoque hujus urbis, qui a Com-
 modi temporibus habentur, ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ
 tantum inscripti deprehenduntur. At no-
 ster, cum utrumque nomen ostendet, haud
 dubie eo tempore cusus videtur, quo Elæu-
 sæ nomen non dum exolevit; imo vero,
 quo Sebastes compellatio, honorifici cogno-
 minis ergo tantum usurpata fuerat. Equi-
 dem ipsum Archelaum *Sebastes* nomen Elæ-
 usæ suæ adjecisse, nusquam lego; Certum
 mihi tamen est, id Archelao auctore factum
 esse. Nam *Sebastes* seu *Augustæ* nomen, uti
 aliæ urbes, ita hæc quoque non nisi in Au-
 gusti honorem obtinuit: atque adeo, aut vi-
 vente adhuc Augusto, aut recenti ejus du-
 rante memoria. Archelaus vero beneficiis
 egregiis est ab Augusto cumulatus; cum
 non modo ab Antonio data, ei, & Amyntæ,
 solis permiserit Cæsar Aug. Quod *Dio*
lib. LI. refert: verum etiam *Ciliciæ* parte,
 & *Armenia* minore donaverit, ut idem *Dio*
lib. LIII. perhibet. Archelaus porro anno
 a morte Augusti quarto, V. C. 770. Ti-
 berio imperante, ipsique infenso, Romæ ac-

cusatus, *finem vitæ* ut cum *Tacito lib. II. Annual: loquar, sponte, aut fato implevit.* Dubitandum igitur nullo modo arbitror, Archelaum ipsum Elæusam suam *Sebastes* cognomine appellasse.

Quod vero Strabo, qui sub Tiberio scripsit, solius nominis Elæusæ mentionem faciat, inde factum videtur; quod sub initium vetus Nomen *Elæusa* loco principe, uti noster numus testatur, retentum sit, & cognominis instar *Sebastes* compellatio accesserit; subinde vero cognomen, quod & in hominum cognominibus sæpe accidisse constat, seu adulatione, seu Romanorum, Cappadociæ, ac Ciliciæ, in Provinciam redactæ, Dominorum iussu, præ veteri Elæusæ nomine invaluerit.

Satis argumentorum me attulisse existimo, cur τὸ Α. in adversâ numi nostri parte signatum, Archelai Regis Nomen indicare, & caput Diadematum, ejusdem Regis vultum referre, censuerim. Jovis quidem certe caput hic signatum esse, non credo, quod lauro cinctum, & prolixiore barba effingi solet.

Numus Coryciotarum, & Heracleæ.

Elæusæ vicina Corycus hic sibi locum ven-

vendicat. Numum Coryciorum, sine Augusti Capite, unum Goltzius protulit, qui cistam Bacchi, & Caput Jovis exhibet, cum epigraphe: ΚΩΡΥΚΙΩΝ. Atque hunc numum ad Cretæ Corycum Goltzius refert. Alii numi, sub Augustis signati, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. inscripti leguntur, addito nonnumquam titulo Ἀσύλα, & Ναυάρχιστος, *Asyli jure gaudentis, & Classica.* Noster quoque numus ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. gentile nomen proferret; Stephanus utroque modo format: Κώρυκος πόλις Κιλικίας --- τὸ ἐ-Φυικὸν Κωρυκίως --- λέγεται ἢ Κωρυκιώτης. *Corycus urbs Ciliciæ, gentile Corycius, dicitur etiam Coryciorum.* Numum nostrum in imagine fisto Tab. V. Num. 35. quem quidem jam obiter descripseram in *Auctario Appendiculæ ad numos Græcos Vaillantii.* Ita habet:

Caput muliebre turritum, ad occiput
 ΔΤ. Anno 304.

ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΗΡ. ΤΑΡ. Κωρυκιωτῶν, Ἡρακλεωτῶν, Ταρσέων. *Coryciorum, Heracleotarum, Tarsensium.* Mercurius, galero testus, stans, d. Strophium colligit, s. Caduceum sustinet. *Æneus, parvi moduli.*

Characteres ΔΤ. in antica numi parte signatos, annorum esse notas, nullus dubito,

to. Cum vero numus multam vetustatem spiret, & numerus sat magnus indicetur; ad nullam Ciliciarum urbium æram, quæ, in Augustorum numis, serius cœpisse, repertæ sunt, applicari posse, persuasum habeo. E vetustioribus vero epochis, cui rectius, quam Seleucidarum attribuiam, non inuenio. Si itaque addam 304. † 442. habeo annum V. C. 746. Eo tempore Elæusa, cum vicinis urbibus, uti ad numum præcedentem adnotauimus, Archelao parebat, quem epocham aliquam novam, vetere abolita, instituisse non constat. Corycum vero Elæusæ vicinam, imo proximam fuisse, Ptolemæus, Oppianus, & Stephanus comprobant, qui has duas urbes in descriptione Ciliciæ consociant.

Haud procul ab Elæusa etiam Tarsus aberat, Clarissima Ciliciæ metropolis: quare τὸ TAP. in auersa numi facie citra dubium Ταρσέων *Tarsensium*, legeram, concordiam, aliumve harum urbium nexum indicari credens. Τὸ HP. vero, etsi Ἡράκλειωτων *Heracleotarum*, legendum arbitrer; cui tamen Heracleæ, cum viginti tres recensent Stephanus, ac inter duas potissimum, utri hanc epigraphen tribuam, ambiguis hæreo.

He-

Heracleam Caria, quod inter Asia minoris urbes ejusdem nominis, proxima esset Cilicia, hic accipi oportere primum suspicabar; ad quod confirmandum induxi in dicto *Aueuario Appendiculæ* insignem Tarsensium numum, in quo, uti describere Vaillantius, & Harduinus, tres figuræ, totidem Provincias referentes, effectæ sunt, Genio urbis Tarsensis coronam imponentes, cum epigraphe: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. CETHPIAN. ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡ. ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. ΙCΑΤΡΙΑ. ΚΑΡΙΑ. ΛΥΚΑΟΝΙΑ. *Sub Archonte Cajo Hom*
 --- *Severianæ Tarsi, Metropoleos Cilicum, I-*
sauria, Caria, Lycaonia. Hoc ex numo, & Scriptorum veterum testimoniis collegeram, singulare quoddam juris, aut amicitia vinculum Cariam Ciliciæ adstrinxisse, quod & urbes suis in numis professæ fuerint.

Aliud quoque, ad illustrandum hunc nexum Heracleæ Caria cum Tarso, numisma in subsidium vocaveram ex collectione R. P. Harduini, in quo legebat: Η. ΤΑ. ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΔΞΡ. infra nota Praefecti monetæ: omnia intra coronam lauream, in medio fulmen; altera numi pars Caput Jovis refert. Quæ ita interpretatur laudatus scriptor: *Heracleæ, & Tarsi, Fratrum Populorum, anno 165.* Dubitat etiam Harduinus, Thraciæne, an Ponti, Caria, an

an Æoliæ Heracleam hic indicatam arbitretur.

Posteaquam vero similem omnino numum in Cimelio Granelliano conspexi, qui a modo descripto vix quidquam diversi, præter unius anni numerum, haberet, uti habetur Tab. V. Num. 36. cujus unum monogramma item H. & P. conexum exhiberet, alterum vero non Tarsum, sed BY. quod lego Βύβλος, atque adeo Byblum urbem indicaret; confirmatus quidem in ea opinione sum, *Heracleæ* urbis hic mentionem fieri: imo vero, cum in utroque numo *Heracleæ* nomen cum diversæ urbis nomine compareret, ipsius *Heracleæ* esse numos hosce, quæ cum aliis urbibus *Fraternam populorum concordiam*, in ære suo commendaret. Verum loco *Caricæ* *Heracleæ* alius mihi in mentem venit, cum qua nisi horum duorum numorum omnia egregie congruere ostendero, dicta non dicta volo.

Est ea *Heraclea* in *Pieria*, *Syriæ* regione, sita. Sane vix alia re opus esse puto, quam ut *Seleucia*, urbis ejusdem *Pieria*, numos quisquam cum hisce nostris conferat, quo mea comprobetur sententia. *Seleucenses* numi Caput *Jovis* ex una parte, ex altera fulmen ibidem ostentant, ut in numis

mis nostris. Jupiter hic in Seleucia non nullis numis ΖΕΥΣ. ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ. *Jupiter Tonans, vel Fulgerator*, inscribitur, in memoriam ejus facti, quo Seleuco Nicatori, dum Seleuciam conditurus ad aras faceret, fulminis ictu addictum esse ferunt.

Deinde inscriptio ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *Fratrum Populorum*, huic regioni præclare convenit; nam principes quatuor Pieriæ urbes, quas Τετραπόλεως nomine complexi sunt veteres, nempe Antiochia Daphnes, Seleucia, Apamea, & Laodicea, hoc eodem Ἀδελφῶν vocabulo usæ sunt, teste *Strabone lib. XVI.* Ἐλέγοντο ἀλλήλων ΑΔΕΛΦΑΙ, διὰ τὴν ὁμόνοιαν, Σελεύκῃ τῇ Νικάτορος κίσιμα. *Urbes hæ ab invicem Sorores, seu Fraternalæ dictæ sunt, ob concordiam, cum essent a Seleuco Nicatore conditæ.* Porro Strabo eadem pagina Tarsum ab eodem Seleuco conditam esse memorat. Unde in aperto est, cur Heraclea Pieriæ *Fraternalæ concordiam* cum Tarso jactet: quæ etiam esset, uti primariæ in Pieria urbes, Σελεύκῃ τῇ Νικάτορος κίσιμα.

Porro Byblenses inter, & Heracleotas Pieriæ, Concordiæ vinculum intercessisse, situs ipse credibile facit; ad eandem quippe Syriaci littoris oram, haud ita magno ab se invicem intervallo, ambæ urbes constitutæ erant.

De-

Denique annorum numeros utriusque numi supputandos existimo ad Æram, Seleucensibus in Pieria usurpatam; non illam quidem, quæ a Pompejo, neque alteram quæ ab Augusto deducitur; verum ad antiquiorem, quam celeberrimus Norisius a pace, inter Antiochos Fratres constituta, derivat, quæ cœpit anno V. C. 645. Addendo igitur 164. vel 165. exhibet annus V. C. 809. vel 810. qui fuit annus Imperii Neronis tertius, & quartus. Huic vero Epochæ cur potius, quam Pompejanæ, aut Augustanæ tribuam, ratio est, tum quod numi nullum cum Romanis nexum exhibeant, nullaque signa, quibus Seleucia se ipsis obnoxiam fateatur: tum quod characteres numerorum *probabili* argumento sint, ante Domitiani tempora eosdem esse signatos. Si autem Pompejana æra assumeretur anno V. C. 691. incipiens, addendo 164. deveniretur ad annum V. C. 856. Trajano jam Imperante.

Hæc omnia incertum me reddidere, utrinam Heracleæ, Caricæ, an Syriacæ Tò HP. in numo Coryciorum expressum, rectius convenire pronuntiem. Fateor tamen ob duos, modo expositos, numos magis me ad Heracleam Pieriæ inclinare. Eruditi Lectoris arbitrium esto.

Tri-

Tripolitarum Numus.

TRipolin Phœniciaꝝ urbem Seleucidarum Æra suis in monetis usam fuisse, e numis Augusti certum habemus, in quibus cum notæ ΠΣ. æqual. 280. & IT. æqual. 310. extent; in aperto est, has ad aliam referri, præsertim in Syriacis urbibus, quam ad Seleucidarum Æram non oportere.

Aliam porro, haud ita antiquam Epocham suo in ære indicasse Tripolitas, extra dubium est: unde ea initium sumplerit, id vero controversum est. *R. P. Harduinus in Chronol. Vet. Test.* e numo Tripolitano, qui una ex parte Caput nudum M. Antonii: ex altera Caput Cleopatraz Reginz Diadematum offert, cum epigraphe: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΙΚ. *Tripolitarum anno 23.* Confecisse se putat: Tripolitas Æram Cæsarianam, quæ eadem Antoniana sit, cœptam Anno V. C. 705. in hoc numo consignasse. Duobus rem argumentis firmare connititur: altero, quod Antonii vultum numus præ se ferat, videri, & epocham Cæsariano-Antonianam adhibitam; altero, aliam æram hic esse non posse, atque Pompejanam, vel Cæsarianam laudatam: Pompejanam vero huc non facere; quod, numis testibus, inferiorem tantum, seu meridionalem, non vero

superiorem, seu borealem Syriæ partem in ordinem redegerit, eamque beneficiis, aut Societatis fœdere inuito sibi devinxerit Pompejus.

His ita, uti putat, constabilitis, recte sane deducit: Actiacam pugnam (quam secutus est Antonii interitus) non anno V. C. 723. quæ communis erat omnium sententia, sed anno saltem 727. exeunte, aut potius 728. accidisse. Nam in hoc numo Antonii vultus indicat, eo vivente, ac florente hanc monetam esse percussam: atque adeo, si ad initium Æræ Cæsariano-Antonianæ 705. adjungantur 23. incipiet annus iste vigesimus tertius Tripolitarum in autumno anni V. C. 727. quo igitur adhuc in vivis erat Antonius.

Nodus hic alius incidit. Nam si ex mente P. Harduini anno V. C. 705. fœdus cum Romanis inierunt Tripolitæ, atque ab eo supputare annos suos usque ad Antonii obitum cœperunt; quid erat, quod interea temporis antiquam Seleucidarum Æram resumerent? siquidem in Augusti numo, superius relato, habetur ΠΣ. *equal.* 280. adde 442. habes annum V. C. 722. qui juxta Tripolitanos cœpit in autumno anni 721. Cur igitur in illo Antonii numo ad Antonianam Epocham anno 727. redierunt?
Ex-

Expedite vero hic respondet, nodumque omnem expedit: anno V. C. 721. Tripolitas foedus, cum Romanis antea initum, dissolvit, quin tamen amicitia renuntiarent; id vero deinde innovasse ante annum V. C. 727.

His ego viri eruditissimi conjecturis facilius assensum praerem, si Actiacae Victoriae epocha, contra unanimem veterum, atque recentiorum consensum, loco suo non moveretur, atque quinque annis serius incepisse statueretur. Quid enim tanti momenti hic etiam affertur, cujus causa scriptorum omnium fidem, & vadimonium deferamus? Antonii vultum praefert numus; igitur Antonianam aeram numus exhibet? nego enim vero hanc sequelam, praesertim cum habeam aliam viam, qua omnia tuto deducam. Foedus cum Romanis initum, & rescissum pro libitu fingitur; at numi, Antonianae aerae repugnantes, ita facere cogunt. Pompejana aera ne admittatur, id unum opponitur: Pompejo in Australi Syria nihil admodum negotii fuisse. Verum contraria numorum, & Historicorum auctoritate comprobantur.

Nihil igitur Antonianam aeram hic moror, sed in Tripolitanis numis antiquioribus, qui exigui numeri characteribus insignes sunt, Pompejanam aeram, ab anno V.

C. 691. inceptam, adhibitam fuisse contendo. Numum nostrum ante exhibebo, quam ei rei argumenta dicam. Vide Tab. V. Num. 37.

Caput muliebre turratum.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. A. L. H. Ἀυτονομία, vel Πρώτης, Λυκάβαντος ἢ Tripolitarum urbis, propriis legibus utentis, vel Primæ, anno 8. Dioscuri equites, hastam gestantes, utriusque pileo stella infistit. Æneus parvi moduli.

Literam A. hic præter morem Tripolitanorum numorum Τῶ L. præpositam, lego vel πρώτης Primæ; quoniam numisma Regis Galliarum ab Harduino proferatur, in quo legitur: ΚΟΙΝΟΝ. ΠΡΩΤΗΣ. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Commune Primæ Tripolitarum.* Quod numisma Antonio, & Cleopatra dicatum est, adeoque eorundem temporum, ac numus noster: vel legi potest Τὸ A. Ἀυτονομία. Nam hoc etiam titulo insignem Tripolitarum numum Spanhemius Tom. I. Dissert. IX. §. II. e Cimeliarchio Pembrochiano produxit, ita inscriptum: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Tripolitarum urbis Sacrae, & suis legibus utentis.*

Hoc

Hoc *Ἀυτονομίας* exercitium, utrum a Pompejo Tripolitanis indultum sit, cum Auctoritas satis clara id non comprobet, certo asserere nolim; illud tamen certum habemus, quod inficias ibat R. P. Harduinus, Pompejum in Syria propria, & septentrionali, atque in Phœnicia regione, in qua Tripolis sita est, fuisse, & aliquid negotii composuisse. *Plutarchus in Pompejo* refert: Eundem in *Syriam* profectum, ut quæ legitimos Reges non haberet, eamque in Provinciam Populi Rom: redegisse; deinde subdit singillatim: *Judeam* porro subegit. *Syriam* profecto hic propriam, & Septentrionalem quoque intelligi debere, nemo non videt. *Dio lib. XXXVII. Constituta Syria, atque Phœnicie, adversus Aretam Pompejus se convertit.* En de Phœnicia testimonium, in cujus maxime Boreali parte sita erat Tripolis. Atque hæc a Pompejo gesta sunt in Syria anno V. C. 691. a quo *Æra Pompejana* initium sumit.

Porro autem de ipsa quoque Tripolitana urbe egregie, singulari collato beneficio, meritus est Pompejus, qui Tripolitanae urbis Tyrannum Dionysium Tyrium capite plectendum curavit; uti colligitur ex *Flavio Josepho lib. XIV. antiqu: Cap. 5.* Qua occasione, circa annum 691. Tripolitanis aut

Ἀυτονομίαν, aut alia salubria instituta a Pompejo impertita esse existimo.

Sane *Card: Norisus de Epoch. Syro Maced.*
 Ex numis juxta, atque ex *Eutropii lib. VI. & Collectaneis Porphyrii apud Scaligerum* comonstrat, Antiochiam, Seleuciam, & Laodiceam, Syriae propriae, & Septentrionalis urbes, *Ἀυτονομίαν*, & libertatem cum aliis Syriae urbibus accepisse, atque inde annorum numeros, ari suo consignatos, deduxisse. Quibus omnibus expensis jure merito ego quoque numi nostri exiguos numeros, aliosque id genus, ad Pompejanam aera revocandos censeo.

Ita denique Aera Seleucidarum nihil in Tripolitanis numis obturbabit. Noster enim numus, exhibens annum Octavum Aerae Pompejanae, dabit annum V. C. 699. Antonii, & Cleopatrae numus, cum anno 23. dabit annum V. C. 714. quo anno Antonius, inita cum Octaviano Pace, urbem ovarans ingressus est. Numus vero ille, qui sub Augusto 280. praese fert, cum incidat, ab aera Graecorum supputando, in annum V. C. 727. indicat Tripolitanos jam desisse aera Pompejana in numis uti. Nihil hic secum pugnant: inter scriptores, & numos veteres egregie convenit: neque ut antiqua
 de

de statione sua Aetiaca pugnae aram depellamus, quidquam est, quod nobis occasionem præbeat.

Quod vero hic scriptoribus veteribus fidem aliquis neget, & suis tantum ad numos exponendos conjecturis credi velit; nã illi ego injuriam haud fecero, si meam, & aliorum explicationem numorum veterum, una cum ingenti, hac quidem in re, Historicorum, & Chronologorum prope omnium consensu, audenter opposuero.

Numus Tarsensium.

TAPΣEΩN. *Tarsensium*. Nomen aliud, fortasse Magistratus, legi totum non potest. Jupiter sedens, semicinctus; d. victoriolam, coronam offerentem, sustinet, s. hasta pura fulcit.

NEΩKOP. *Νεωκόρων*. *Ædituorum* nempe Tarsensium. Litera B. etiam apparet; sed cum una alterave litera in area numi extrita sit; dubito, utrum B. ad *Νεωκόρων* pertineat, ut sit *Iterum Ædituorum*: an vero præcesserit Γ. ut sit *Γεγάματι Βελῆς Senatus Decreto*. Figura muliebris sedens, Capite turrato, manibus protensis, ad pedes figura nuda procumbens. Vid. Tab. V. Num. 38. Æneus mediæ formæ. Jo-

Jovis insignem cultum, & simulacrum proprium apud Tarsenses fuisse, ex Hadriani numo, quem R. P. Harduinus protulit, confirmatur, in quo legitur ΔΙΟΣ. ΤΑΡΣΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠ. *Jovis Tarsensium Metropolitanarum.* Figura, nudum Virum, ad Genii urbis Tarsensis pedes prostratum, referens, Cydnum, celebrem, & maximum Ciliciæ fluvium, designat. Cydus siquidem per mediam Tarsum labebatur, uti testantur *Strabo lib. XIV. Mela lib. 1. Cap. 13. Plinius lib. V. Cap. 27. Arrianus lib. II.* Verba apponam *Dionysii Periegetæ versu 868.*

Κύδλυς τε σχολιοῖο μεσην διὰ Ταρσὸν
ἴουτος.

*Cydus obliquo meatu mediam Tarsum
transit.*

Numus Sinopensium.

CAput, quantum apparet, laureatum, & barbatum, penes vultum sceptrum prominet: sine epigraphe.

ΣΙΝΩ. Σινώπης. vel Σινωπέων. *Sinopes* vel *Sinopensium.* Vir, currenti, & phalerato equo insidens, dextra telum vibrans, Caput galea munitus. Æneus parvi moduli. Tab. V. Num. 39.

Equi-

XXII



XXXIII




XXXIV



XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



Tab V

Post Paginam. 100



Tab V. Post Paginam 100





te
qu
in
le
ft
Si
gi
ac
D
de
tr
ya
in
m

Si
to
p
ju
te
al
al
fi
la
ft
qu
an
J





Equitis armati figura fortasse Mithradates Eupator, Ponti Rex, repræsentatur, qui, cum bellis adversum Romanos gestis inclaruerit, hastam dextra librans non male effingeretur. Ostendit autem numus noster magnæ sane vetustatis indicia: atque Sinope erat splendidissima Mithradatis Regia. Id quidem cum ex M. Tullii verbis, ad Numum Amisenum productis, tum ex *Diodoro Siculo lib. XIV.* Docemur, qui ita de Sinope: Ἐν ἣ καὶ ἡμᾶς ἔσχε Μιθριδάτης, ὁ πρὸς Ῥωμαίους διαπολεμήσας, τὰ μέγιστα βασίλεια. *Qua in urbe Mithradates, qui in Romanos arma moverat, nostra ætate maximam aulam Regiam habuit.*

Caput barbatum, ac laureatum Jovem Sinopensem exhibet, apud Antiquos Scriptores celebrem. Mitto hic, quæ de Sinope, Nympha aliis, aliis Amazone, Græci juxta, atque latini Poëtæ cecinere, quæ integram ab Jove proco Virginitatem fraude abstulerit. *Taciti* verba de Jove Sinopensi afferre libet, qui Sinopensi ex urbe Jovis simulacrum Alexandriam in Ægyptum delatum perhibens, hæc adjungit, *lib. IV. Histor. sub finem: DEum ipsum multi Æsculapium, quod medeatur ægrotis corporibus, quidam Ostrim, antiquissimum illis gentibus nomen, plerique Jovem, ut rerum omnium potentem, plurimi Di-*

tem Patrem ---- conjectant. Jovi Sinopen-
 si varias, cum variis nominibus, virtutes
 veteres tribuere; sub quo velo aut rerum
 naturam, aut ipsum potius Deum latitan-
 tem, & obscure nimis cognitum coluere.
 Præterire hic non possum egregiam inscri-
 ptionem antiquam, ad illustranda modo di-
 cta oportunam, quam Collegæ cuidam meo
 in Oriente, cum aliis inscriptionibus, ab se
 collectis, descriptam dedit Doctissimus Do-
 minus de Bohn. Scriptum illud, quod
 propria manu videtur exarasse Bohnius, ti-
 tulum hunc præfert: *Inscriptions Grecques &
 Latines recueillies en differens endroits voisins de la
 Propontide, & de l' Hellespont, par G. J. de Bohn.*
 Ultima ex his inscriptionibus, in Insula Chio
 reperta, de Jove agit; ita tamen male scri-
 pta comparet, ut necessarium duxerim, pri-
 mum eam repræsentare, uti accepi, quam
 vide *Tab. VI.* Deinde meas emendationes,
 supplementa, & interpunctiones adhibere.
 Id an feliciter præstiterim, periti judicent.
 Ita legendam inscriptionem censeo.

ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ.

ΟΥΡΑΝΙΩΝ. ΠΑΝΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΥ. ΧΑΙΡΕ.
 ΑΦΘΙΤ'. ΑΝΟΥΒΙ.

ΣΟΣΤΕ. ΠΑΤΗΡ. ΧΡΥΣΟΣΤΕΦΑΝΟΣ. ΠΟ-
 ΛΥΣΕΜΝΟΣ, ΟΣΕΙΡΙΣ.

ΑΤΤΟΣ.

ΑΥΤΟΣ, ΖΕΥΣ, ΚΡΟΝΙΔΗΣ. ΑΥΤΟΣ, ΜΕ-
ΓΑΣ, ΟΒΡΙΜΟΣ. ΑΜΩΝ.

ΟΥΡΑΝΟΣ. ΑΘΑΝΑΤΩΝ. ΠΡΟΤΕΠΗΝΗ-
ΤΑΙ. ΣΕ. ΣΑΡΑΠΙΣ.

ΣΗ. ΤΕ. ΜΑΚΑΙΡΑ. ΘΕΑ. ΜΗΤΗΡ. ΠΟΛΤΩ-
ΝΤΜΟΣ. ΙΣΙΣ.

ΗΝ. ΤΕΚΕΝ. ΟΥΡΑΝΟΣ. ΕΥΦΡΑΝΙΔΗΣ.
ΕΠΙ. ΚΥΜΑΣΙ. ΠΟΝΤΟΥ.

ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣ. ΟΡΕΧΕΝ. Δ'. ΕΡΕΒΟΣ, ΦΩΣ,
ΠΑΣΙ. ΒΡΟΤΟΙΣΙ.

ΠΡΕΣΒΙΣ. ΤΗΝ. ΜΑΚΡΟΝ. ΟΛΤΜΠΩ,
ΣΚΗΠΤΡΟΝ. ΕΧΟΥΣΑΝ.

ΚΑΙ. ΓΑΙΗΣ. ΠΑΣΗΣ. ΚΑΙ, ΠΟΝΤΟΥ. ΔΙΑΝ,
ΑΝΑΣΣΑΝ.

Bona Fortuna.

*C*oelestiu omnium Rex, Salve, incorruptibi-
lis Anubi! Tuus Pater est, aurea corona re-
dimitus, multum venerandus Osiris: Idem Jupi-
ter, Saturni Filius, idem magnus, & robustus
Hamon: Cælum præ omnibus Immortalibus Te
celebravit, O Sarapi! Tua Mater est beata Dea,
multiis nominibus gaudens, Isis, Quam genuit
Cælum læta facie in fluctibus Ponti rutilantibus;
ipsi vero inferi desiderabant lumen: omnibus ho-
mi-

*minibus Tu Advocata, Te, que magnam in Olym-
pyo sceptrum geris, Et Terræ omnis, & Pon-
ti divam Reginam colimus.*

Anubin, qui Ægyptiorum erat Mer-
curius, Osiridis, Isisque Filium fuisse ex
Diodoro lib. I. colligitur. Illud mirum: Cæ-
lestium Regem appellari Anubin. Fortasse
τὸ ὀυρανίων, motus orbium cælestium indicat.
Penultimo versu, qui loco *Advocata*,
vertere volet: *legati munere funge-
ris, me non invito fecerit.*

Laus Soli Vero DEO.



ΑΓΓΑΘΗΤΥΧΗΗ

ΟΥΓΑΝΙΟΝΤΑΜΤΟΜΒΑΣΙΛΕΥΧΑΙΡΕΑΦΘΙΤΑΝΟΥ
ΣΟΣΤΕΠΑΤΗΡΧΡΥΣΤΕΥΑΝΟΣΠΟΥΡΣΓΝΝΟΣΟΣΕΙΡ
ΑΥΤΟΣΖΕΥΣΚΡΟΝΙΔΗΣΑΥΤΟΣΜΕΓΑΣΟΒΡΙΜΟΣΑΜ
ΟΙΡΑΝΟΣΑΘΑΝΑΤΩΝΤΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙΞΕΣΑΡΑΤΙΣ
ΣΗΤΕΜΑΚΑΙΡΑΘΕΔΜΗΤΗΡΩΛΥΩΗΥΜΟΣΙΣΙΣ
ΗΝΤΕΚΕΝΟΥΡΑΝΟΣΕΥΦΡΝΙΔΗΣΕΠΙΚΥΜΑΣΙΠΟΝΤ
ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣΟΡΕ+ΕΝΔΕΡΕΒΟΣΦΩΣΤΑΣΙΒΡΟΤΟΙΣΙ
ΠΕΞΕΒΙΣΤΗΝΜΑΚΡΟΝΟΥΜΠΩΞΚΗΤΤΡΟΝΕΧΟΥΣ
ΚΑΞΑΙΗΣΤΑΣΗΣΚΑΙΠΟΝΤΟΥΔΙΑΝΑΝ

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΟΥΓΑΝΙΟΝ ΠΑΜΤΟΜΒΑΣΙΛΕΥΧΑΙΡΕΑΦΘΙΓΑΝΟΥ
ΣΟΣΤΕΠΑΤΗΡΧΡΥΣΤΕΥΑΝΟΣΠΟΛΥΣΓΝΗΟΣΟΣΕΙΡ
ΑΥΤΟΣΖΕΥΣΚΡΟΝΙΔΗΣΑΥΤΟΣΜΕΓΑΣΟΒΡΙΜΟΣΑΜΟ
ΟΙΡΑΝΟΣΑΘΑΝΛΤΩΝΠΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙΣΕΣΑΡΑΠΙΣ
ΣΗΤΕΜΑΚΑΙΡΑΘΕΔΜΗΤΗΡΦΩΛΥΩΗΥΜΟΣΙΣΙΣ
ΗΝΤΕΚΕΝΟΥΡΑΝΟΣΕΥΦΡΝΙΔΗΣΕΠΙΚΥΜΑΣΙΠΟΝΤ
ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣΟΡΕ+ΕΝΔΕΡΕΒΟΣΦΩΣΠΑΣΙΒΡΟΤΟΙΣΙ
ΠΕΣΒΙΣΤΗΝΜΑΚΡΟΝΟΛΥΜΠΩΣΚΗΠΤΡΟΝΕΧΟΥΣ
ΚΑΑΙΗΣΠΑΣΗΣΚΙΠΟΝΤΟΥΔΙΑΝΑΝ

105 2 x 105



ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΟΥΓΑΝΙΟΝ ΠΑΜΤΟΜΒΑΣΙΛΕΥΧΑΙΡΕΑΦΘΙΤΑΝΟΥ
ΣΟΣΤΕΠΑΤΗΡΧΡΥΣΤΕΥΑΝΟΣ ΠΟΛΥΣΓΝΝΟΣΟΣΕΙΡ
ΑΥΤΟΣΖΕΥΣ ΚΡΟΝΙΔΗΣ ΑΥΤΟΣ ΜΕΓΑΣΟΒΡΙΜΟΣ ΑΜ
ΟΙΡΑΝΟΣ ΑΘΑΝΑΤΩΝ ΠΡΟΤΕΠΝΗΤΑΙ ΣΕΣΑΡΑΤΙΣ
ΣΗΤΕΜΑΚΑΙΡΑΘΕΔΜΗΤΗΡΩΛΥΩΗΜΟΣΙΣΙΣ
ΗΝΤΕΚΕΝΟΥΡΑΝΟΣ ΕΥΦΡΝΙΔΗΣ ΕΠΙΚΥΜΑΣΙ ΠΟΝΤ
ΜΑΡΜΑΡΕΟΙΣ ΟΡΕ+ΕΝΔΕΡΕΒΟΣΦΩΣ ΠΑΣΙΒΡΟΤΟΙΣΙ
ΠΕΣΒΙΣΤΗΝ ΜΑΚΡΟΝ ΟΛΥΜΠΩΣ ΚΗΠΤΡΟΝ ΕΧΟΥΣ
ΚΑΑΙΗΣ ΠΑΣΗΣ ΚΙΠΟΝ ΤΟΥ ΔΙΑΝΑΝ

Tab. VI. post pag. Ultimam.



D. O. M. A.

QUOD

BONUM, FELIX, FAUSTUM,
FORTUNATUMQUE SIT

Huic Antiquissimæ, ac Celeberrimæ

UNIVERSITATI VIENNENSI

SENATUI PHILOSOPHICO

TOTIQUE REIPUBLICÆ
CHRISTIANÆ,

SUB

Admodum Reverendo, & Clarissimo Patre

ADAMO FENZL,

è Soc. JESU

AA.LL. Philosophiæ & SS. Theol. Do-

ctore, ejusdémque in Moralibus Professore

Ordinario, nec non p. t. Inclytæ Facul-

tatis Philosophicæ

DECANO SPECTABILI

Septuaginta duo

Illustrissimi, Perillustres, Reverendi,

Religiosi, Prænobiles, tam Virtute, quàm

eruditione Conspicui.

In Aula Academica Cæsarei Soc.

JESU Collegii

Anno Christi MDCCXXXVIII. Mense Aprili die

Horâ Octavâ Matutinâ

Primâ AA. LL. & Philos. Laureâ condecorati sunt,

PROMOTORE

R. P. ANTONIO WEILHAMER,

è Soc. JESU, AA. LL. & Phil. Doctore,

ejusdémque Professore Ordinario.



NOMINA PROMOTORUM.

Illustrissimus, ac Rev. D. Franciscus Lambertus Antonius S. R. I. Comes à Liedekerke L. B. de Surlet, & d' Acre, Leodienfis Lechienfis è Cæs. S. J. Conv. Coll.

Illustrissimus D. Joachimus Marchio de Balu, & Villamoros Austr. Vienn.

Perill. D. Antonius Zanchi de Cattò, & Linchenberg S. R. I. Eques Liburnus Fluminensis, è Cæs. S. J. Conv. Coll. Sereniss. Elisabethæ Archid. Austr. & Reginæ Galliarum Alumn.

Ferdinandus ab Aichinger, Prænob. Austr. Vienn.

Ordine
Alphabeti.

1. Joaões Antonius Spitzinger, Nob. Austr. Sighartienfis è Cæs. SS. Ignat. & Pan-
cratii Semin.

Perill. D. Josephus de Kürchstettern, S. R. I. Eq. Austr. Vienn.

R. D. Josephus Lindauer, Nob. Ung. Eperies. ex Com. Sarosienfi Colleg. Pazm. Alumn.

2. Antonius Zuchmantl, Præn. Bohemus Pragens. Ca-

- Ordine Alphabeth.
2. Casparus Rizl, Austr. ex S. Bernard. è
Cæs. S. J. Conv. Coll. Seren. Elisabe-
thæ Archid. Austr. & Reg. Galliarum
Alumn.
- Perill. D. Joannes Carolus à Cooper,
Austr. Vienn.
- Perill. D. Joannes Ludovicus de Tiell,
S. R. I. Eques Austr. Vienn.
- Josephus Muffat, Præn. Austr. Vienn.
- R. D. Paulus Vuchetich, Nob. Croata
Briniens. Coll. Croat. Alumn.
- Ordine Alphabeth.
3. Antonius Josephus Wimmer de Thurn-
stain, Præn. Siles. Glacens. ex Illustr.
Fund. Windhagiana.
- R. D. Jacobus Skerlez, Nob. Croata Tu-
ropoliens. Coll. Croat. Alumn.
- Ignatius Wagenfeil, Nob. Austr. Vienn.
è Cæs. SS. Ign. & Panc. Sem.
- R. D. Joannes Keller, Nob. Ung. Kunov.
ex Com. Nitriens. Coll. Pazm. Alum.
- * Josephus Oberreitmayr, Austr. Vienn.
- R. D. Casparus Helmutt, Nob. Ung. Leo-
poldopolit. ex Com. Nitriensi Coll.
Pazm. Alumn.
- Ordine Alphabeth.
4. Ferdinandus Josephus Peringer, Nob.
Austr. Neostad. è Cæs. S. J. Conv. Coll.
- Franciscus Mödlhamer, Austr. Vienn.
- Franciscus de Paula Niller, Præn. Austr.
Vienn.
- Perill. D. Fridericus Lotharius de Vossy
Brandeburg. Berolinens. è Cæs. S. J.
Conv. Coll. Perill.

- Ordine Alphabeti.
4. { Perill. D. Thomas Bauſard de Sonnenfeld, S. R. I Eq. Auſtr. Vienn.
Franciſcus Prill, Nob. Auſtr. Vienn.
Franc. Xav. Perthold, Nob. Auſtr. Vien.
R. D. Innocentius König, Helvetus Fri-
burg. è Cæſ. S. J. Conv. Coll. SS. D. N. Alumn.
5. { Joannes Artner, Auſtr. Höffleinenſis.
Joſephus Max. Muth, Nob. Auſtr. Vien.
Carolus Stoltz, Auſtr. Vien. è Cæſ. S. J. Conv. Coll.
- Ordine Alphabeti.
6. { Ferdinandus Leopoldus Muſſat, Nob. Palatinus Manheimenſ. è Cæſ. SS. Ig. & Panc. Sem.
R. D. Franciſcus Obenſteiner, Prænob. Auſtr. Rannadridlenſis.
Franciſcus Kollman, Nob. Auſtr. Vien.
R. D. Jacobus Veigl, Auſtr. Ruſpachenſ. è Cæſ. S. J. Conv. Coll. Alum. Cleffel.
7. { Joſephus Prukmillier, Præn. Auſtr. Vien.
Raymundus Font, Nob. Catalaunus Olotenſis.
- Ordine Alphabeti.
8. { Joannes Nepomucenus de Arbeſſer, Præn. Auſtr. Vienn.
Perill. D. Joannes Petrus de Bolza, Auſtr. Vienn.
9. { * Joannes Wirer, Auſtr. Göfftingenſis.
* Adamus Baráti, Ungarus Baratfalvenſ. ex Com. Caſtriferrei.
10. { * Joannes Bapt. Cabalini, Dalmata Novienſ. ex Aureo Monte.

Ber-

Bernardus Dier, Austr. Neunkirchenf.
Cajetanus Kürchberger, Præn. Austr. Vienn.
* Matthæus Weber, Anstr. Grienbacenf. ex
Aureo Monte.

* Andreas Geiger, Austr. Vien. è Domo Paup.

* Christianus Hoffman, Austr. Gerbachenf.
è Domo Paup.

* Amadæus Schiechel, Austr. Vienn. è Domo
Paup.

Josephus Conradus Puechruker, Austr. Bo-
hemo - Kruttenf.

Vitus Holtzwarth, Suevus Weissensteinenf.

Adamus Joannes Trautweiller, Nob. Austr.
Vienn.

Carolus Schwanner, Nob. Austr. Vienn.

Joannes Wilhelmus Krieger, Nob. Ung. Sabar.

Christianus Neyer, Tyrolenf. Bürsensis è Do-
mo Paup.

Philippus Obermayr, Moravus Nicolspurg.
è Domo Paup.

Josephus Joannes Schneider, Austr. Vienn.
ex Aureo Monte.

Josephus Nympher, Austr. Edlbachenfis.

Michäel Weixlperger, Austr. Vienn.

Sebastianus Jereb, Carniolus Cirkinenfis ex
Aureo Monte.

Franciscus Grienner, Austr. Puzleinstorffenf.

Extra Ordinem.

R. D. Josephus Wolff, Tyrolenf. Breganti-
nus SS. Theol. in 4. ann. Aud. Presb.


R.

- R, ac Rel. D. Eugenius Hauer, Sacri & ab Origine exempti Ord. Cisterc. Celeberr. & Ducalis Monast. in Valle B. V. M. de Campo-Liliorum Prof. SS. Theol. in 3. ann. Aud.
- R. D. Franciscus Lindt, Carinthus Ferlencensis SS. Theol. in 3. ann. Aud. Presb.
- R. D. Bartholomæus Pöckl, Carniolus Obergirienf. SS. Theol. in 2. ann. Aud. Presb.
- R. ac Rel. D. Bertrandus de Stock, Antiq. ac Celeberr. ac Cæs. Coll. Eccl. Canonic. Reg. Lat. S. Augustini Viennæ ad S. Dorothææ Prof. SS. Theol. in 2. ann. Aud.
- R. D. Marcus Lacner, Carniolus Rattmanstorff. SS. Theol. in 2. ann. Aud. Presb.
- R. D. Mathias Planinz, Carniolus Tschernomlienf. SS. Theol. in 2. an. Aud. Presb.
- D. Franciscus Cholaucig, Italus Goritienf. SS. Theol. in 2. an. Aud.
- R. D. Antonius Loraghi, Italus Scariensis J. U. Audit. Presb.
- R. D. Antonius Trost, Carniolus Vippacens. Metaph. Presb.
- Perill. D. Antonius Worzeckowski, Eques de Kontraditz, Bohem. Prag. Metaph.
- Jacobus Settele, Suevus Sorethanus Metaph.
- Josephus Wimmer, Ungarus ex S. Georgii Metaph.

PRO.


PROBLEMA IN ACTU DECIDENDUM.

*Plūsne Philosophi Veteres præsti-
terint in Physicis Inveniēdo?
an Recentiores à Veteribus in-
venta Excolēdo?*



PROBLEMA DIOPTRICO - STATICUM.

Per instrumentum Dioptrico-Staticum (cujus constructio & usus aequè facilis ac obuius, à nemine tamen hætenus observatus scitur) visuali radiò corporum gravitatem explorare, ea verò, quæ trigonometricis instrumentis alias inveniri debent, uti objectorum terrestrium, & Cælestium altitudines &c. Solis ponderibus definire.



2



01 A 6748

ULB Halle
003 099 385

3




VD18

whod







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ANIMADVERSIONES

In quosdam Numos Veteres Urbium
Honoribus

ILLUSTRISSIMORUM,

ET

PERILLUSTRIORUM

DOMINORUM DOMINORUM

Dum

*In Antiquissima, & Celeberrima
Universitate Viennensi*

PROMOTORE

Reverendo Patre

ANTONIO WEILHAMER,

è Soc. JESU AA. LL. & Phi-

lophiæ Doctore, ejusdemque

Professore Ordinario,

Prima AA. LL. & Philosophiæ Laurea

Ornarentur

à

NEO-BACCALAUREIS

Condiscipulis dicatæ.

Anno Salutis M. DCC. XXXVIII. Mense Aprili die

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Mariæ Theresiæ Voigtin, Viduæ.